

ENARRATIO ALEXANDRI APHRODISEI
IN OCTAVVM LIB. PRIMAE PHILOSOPHIAE,
Latinis Nonum, Interprete Io. Genesio.



St igitur dictū de substantia, quæ quidem est primum ens, & ad quod omnia prædicamenta ipsius entis cætera reducuntur. Ratione nanq; substantiæ, quantitas, qualitas, & cætera quæ hoc pacto dicuntur, entia dici solent. Vniuersa enim substantiæ rationem habebūt, vt in prioribus sermonibus diximus. Cum autem id quod est, partim substantia, aut quantitas, aut qualitas, partim potentia atq; actu dicatur, de potentia etiam & actu determinemus oportet. Atque de potentia primo, quæ maxime quidem proprie dicitur, non tamen ad id quod nunc volumus, confert. Ad plura enim sese extendit potentia atq; actus, quàm ea quæ tantummodo per motum dicuntur. Sed si de hac dixerimus in hisce quæ & de actu determinabimus, de cæteris etiam declarabimus. Multipliciter igitur potentiam dici, ac ipsum posse, in aliis a nobis est definitum. Harum autem eæ quæ potentiæ dicuntur æquiuoce, omittantur. Nonnullæ nanq; similitudine quadam dicuntur, quemadmodum & possibilia & impossibilia quædam in geometria dicuntur, propterea quod aliquo modo sunt, aut non sunt.

Disputato in sexto septimoq; libro de ente per se, consentaneum est, vt in hoc de eo quod actu est siue potētia, differat. Nā cum ens de eo quod actu est dicatur, deq; eo quod est potentia, hæc autem doctrina de ente consideret, merito in hoc libro disputat de potentia & actu. De actu vero necessario disputat, propterea quod, vt ostendet, prima causa, quæ hic inquirimus, nihil est aliud q̄ actus. Admonet autem nos eorū quæ dicta demonstrata, que sunt, dictum scilicet esse de primo ente, quod quidem est substantia, propter quam cætera quoq; prædicamenta dicuntur entia. (Ratione nanque substantiæ) id est propter ipsam substantiam. ipsa nanq; substantia ratio substantiæ est, cætera omnia entia dicuntur. & suggerit causam cur omnia propter substantiam entia dicantur, dicens. (Vniuersa enim substantiæ rationem habebunt, vt in prioribus sermonibus diximus.) Siquis enim quantum, aut quale, aliudve quodpiam prædicamentum accurate definiat, necessario in ipsorum definitionem substantiam assumet: vt ad limitatis definitionē natus assumitur. quod si ita est, dubitari non debet quin propter substantiam entia dicantur. De his igitur supra disputatū est. (Cum autem, inquit, ens partim substantia aut quātitas aut qualitas, partim potentia atq; actu & opere) illud actu & opere pro eodem dicens. (de potentia & actu determinemus oportet) Appellat autem proprie potētiam materiam primam & informem. est enim facultate omnia, quæ quanquam prima potentia sit, nō est tamen ad id quod hic petimus, admodum utilis, cum quiddam expers materiæ simplexq; & incorporeum inuestigemus, non materiale, neq; compositum. Quod vero ait, (Ad plura enim sese extendit potētia atq; actus, q̄ ea quæ tantummodo per motum dicuntur.) huiusmodi est, quod potentia est & actu, latius patet, quàm id quod potentia solum est. Illud enim habet vtrunque, id est actum & potentiam, hoc vero potentiam tantum. quod autem duo attingit, id latius patet, quàm quod vnum. Neq; solum hoc quod potentia & actu est, latius patet, quàm potentia solum, sed etiam q̄ actu tantum. Potentiam vero hoc in loco motum nūcupauit, aut certe actum vocauit motum: vt sit sensus. Latius patet potentia & actus, quàm ea quæ per motum, id est per actum tantum dicuntur. Est autem potentia tantum, prima informisq; materia: potentia vero & actu, ignis, terraq; & cætera eius ordinis. nam quod actu est ignis, id facultate est aer. At licet quod potentia est & actu, latius pateat, quàm quod est potentia tantū, vel quod solum actu est, tamen de potentia quæ proprie intelligitur, in quæstione de actu disputantes, de cæteris, inquit, facultatibus edocebimus. Cæterum potentiam, & posse, multifariam dici, nihil attinet hoc in loco demonstrare, supra enim definitum est. Sed potentiarum, inquit, eas omittas faciamus, quæ dicuntur æquiuoce. quædam enim similitudine quadam dicuntur, vt in geometria. in hac enim dicitur, si hæc recta linea dupla illius sit, quadratū quod potest, quadruplum est eius quod alia potest. quod in numeris fiet perspicuum. Nam numerus quatuor, qui duplus duorum est, quadratum ex quatuor, hoc est sexdecim efficit, quadruplum eius quod ex duobus efficitur, qui est numerus quatuor. hoc autem dicitur per similitudinē quadam potentiæ proprie dictæ. Quia enim proprie potentia cuncta potest, & recta linea potest aliquid, idcirco hæc quoq; potentia nuncupatur. esse igitur quodammodo vel non esse dicuntur possibilia & impossibilia per similitudinē. Nam cū recta linea est dupla, quadruplum posse dicitur: cum aliter, non posse.

Potētia proprie, materia prima & informis.

Quæ vero ad eãdem sunt formã, eæ omnes principia quædã sunt, & ad primum vnũ dicuntur, quod est mutationis principium in alio, vt aliud est. Quædam enim potentia est patiẽdi, quæ in ipso patiente principium est passiuæ mutationis ab alio, vt aliud est, quædã est habitus impassibilitatis ad deterius corruptionẽve, quæ ab alio, vt est aliud, proficiscitur principio mutatiuo. In his enim omnibus definitionibus ratio ipsius primæ potentia inest. Hæ rursus aut faciendi aut patiendi tantum potentia, aut bene faciendi vel patiendi dicuntur. Quare fit, vt & in horum rationibus rationes quodammodo potentiarum priorum insint.

Potentia-
rũ distin-
ctiones.

Quæ vero, inquit, ad vnã sunt formã, eæ omnes principia quædam sunt, & ad vnum primũ dicuntur. Quoniam materia, vt dictum est, potentia nuncupatur. Sunt autem eiusdem complures materiae, vt pituita diximus dulcia & pingua, hæ materiae pingue ac dulce, principia quædam sunt, & potentia eiusdem formæ, hoc est pituita ac potentia nuncupantur propter primam & vnã potentiam, id est propter materiam informem, quæ principium est & causa vt id in quo est, mutetur. Quod in cera manifesto declarabitur. Cera enim in alio exempli gratia in statua cerea principium & potentia est vt statua mutetur ac perpetiatur ab alio ipsam discindente siue liquefaciente. Illud autem (vt aliud est) adiecit, quoniam fieri potest, vt aliquis ægrotas sibi ipse medeatur. In quo ipso potestas est, vt idem sic perpetiatur. Hoc tamen nõ suppetit ei per se, sed quatenus est aliud. At quoniam potentiarum quædam causæ sunt eorum in quibus sunt, commutandorum in peius, alia vero non, idcirco de ipsis differit, dicens. (Nã quædam est patiendi potentia quæ in ipso patiente principium est passiuæ mutationis ab alio vt aliud est) id est, potentiarum quædam est in ipso patiente, vt principium mutationis, non quidem non perpetiendi, sed perpetiendi ab alio, vt de statua cerea dictum est. quædam igitur ex potentijs huiusmodi est, alia non est principium perpetiendi ab alio, sed habitus potius non perpetiendi in peius. Siccitas enim in ferro habitus est, vt ferrũ ne perpetiatur, & aboleatur ab alio. Sed quoniam sunt quæ perpetiatur, vt luna quæ radios excipit a Sole, quod tamen non est interitus, idcirco adiecit illud (in deterius) quasi diceret, potentia quæ quasi habitus dicitur, non est causa non mutandi in melius, sed ne res ab aliquo principio mutante, in deterius commutetur. Sed postquam dixit principium & causam patiendi perinde potentias nuncupari, atq; principium non perpetiendi, hoc ipsum ostendit, dicens. (in his enim omnibus definitionibus ratio ipsius primæ potentia inest) id est, in omnibus potentia adiectis definitionibus inest ratio ac definitio primæ potentia. est enim primæ potentia ratio, principium mutationis in alio, vt aliud est: mollitudinis autem principium mutationis passiuæ ab alio, vt aliud est. Itaq; in ratione hac ratio inest primæ potentia, & in alijs similiter. quod si ita est, recte potentia nuncupantur. Rursus potentiarum quædam sunt perpetiendi solum, alia vero recte perpetiendi. quam quæstionem nos in quarto huius operis libro latius differuimus, cum de potentia intellectibus verba faceremus. Perspicuũ est igitur in potentiarum rationibus primarum potentiarum quodammodo rationes inesse. Illud autem (quodam modo) adiectum est, quoniam non eodem modo, ac vt ita loquar, immutabiliter, ratio primæ potentia inest in mollitudinis ratione. Illius enim ratio est principium mutationis in alio, vt aliud est, mollitudinis autem principium mutandi.

Patet igitur partim vnã esse potentiam efficiendi ac patiendi (est enim possibile, & quia ipsum habet potentiam patiendi, & quia ab ipso aliquid pati potest) partim aliã. Alia nanq; est in patiente. etenim quia principium quoddam habet, & est ipsa materia principium quoddam, ideo patitur ipsum patiens, ab alioq; aliud patitur. Pingue nanque vti potest: & quod hoc pacto cedit, id premi potest. similis est & in cæteris modis. Alia in efficiente, vt in eo quod calefacere potest, est calidum, & in ædificatore facultas ædificandi. Quare nullum copulatum a seipso patitur, quippe cũ sit vnum, & nõ aliud, vti patet. Impotentia autem quæ tali potentia est cõtraria, priuatio est. quare eiusdem atq; per idem omnis potentia & impotentia sane. Priuatio vero multis dicitur modis & id enim quod non habet, & quod aptum est habere, si non habeat, aut omnino, aut quando est aptum habere, aut hoc pacto, veluti penitus, aut aliqua ex parte priuatum dicimus esse: nonnulla insuper si apta quid habere, ob vim illud non habeant, priuata dicimus esse.

Patet igitur partim vnã esse potentiam efficiendi atq; patiendi. Vt enim via quæ Thebas ducit ab Athenis, quodammodo eadem est, atq; ea quæ Athenas a Thebis, quodammodo vero diuersa (est enim subiecto eadem, ratione non item) sic actus & via a docente ad addiscentem subiecto est eadem, ratione diuersa. Nam considerata vt a docente procedit ad discipulum, doctrina nuncupatur: ab hoc autem ad præceptorem, disciplina. sic efficiendi ac perpetiendi potetia vno modo eadem est,

alia vero diuersa. Nam ignis potentia, hoc est calor qui aquæ ab ipso confertur, est idem, & non idem. consideratus enim ut ab igne suggeritur aquæ, effectio nuncupatur: e diuerso autem, per se. Est igitur, inquit, potentia efficiendi & patiendi modo quodam eadem. nam possibile siue potens dicitur, vel quoniam ipsum habet potentiam perpetiendi ab alio, ut aqua quæ ut ab igne caleſcat, facultatem obtinet: vel quoniam aliud ab ipso pati potest. Ignis enim possibilis potensve dicitur, quia potetiam habet ut aqua perpetiatur ab ipso. Cæterum potentiarum quædam est in patiente. Patiens enim patitur, quia potentiam quandam & principium habet, & omnino quoniam materia principium quoddam est, & aliud ab alio perpetitur. Nam pingue combustibile est. quod vero certo modo cedit, est fragile, quoniam potentiam quandam & materiam habet: alterum ut comburatur, alterum ut infringatur. Et potentiarum alia est in patiente, alia in efficiente. Calor enim in igne est, ars cementaria in ipso artifice, qui sunt efficientes. quare si efficiens diuersum est a perpetiente, haud dubie quod compactum est, & vnum atq; continuum, non perpetietur a se ipso, ut ignis qui vnum est & continuum, non perpetietur a se. quod enim patitur, diuersum esse debet ab eo quod efficit. Ut autem potentia & possibile siue potens habitus est, sic impotentia quæ huic potentia opponitur, est priuatio. Itaq; eiusdem & secundum idem omnis potentia est impotentia. nam potentia qua ignis calefacit, impotentia est. non enim potest non calefacere quæ proxima ei sunt, vel admouentur. itaq; impotentia est, non posse non calefacere. Impotens namq; id dicimus, ac impotentiam habere, quod non habet potentiam certum quiddam efficiendi. Atque ignis potentia per quam non facile secari potest, impotentia est: & simili modo cæteræ. quodam igitur modo sunt potentia, alia vero impotentia. Ut autem potentia plurifariam dicitur, sic item priuatio. Nam quod non habet, id siue habere aptum fit, siue non, priuationem habere dicitur. & talis dispositio in ipso priuatio nuncupatur. atque item quod habere est aptum, si non habeat, vel quando habere est idoneum, vel sic, id est omnino, vel ut cunque. Omnino autem priuationem visus habet, qui utroq; oculo caret, & nullo modo videt. ut cunque vero priuationem habere dicitur, qui videt quidem, male tamen videt. Rursus in quibusdam si quæ habere apta sunt, per vim expolientur eo quod habere sunt apta, hæc illo priuata esse dicimus.

Possibile siue potens.

Patiendi potentia, ac efficiendi.

Potentia omnis, impotentia est

Priuatio.

Cum autem talia principia partim sint in rebus inanimatis, partim in animatis, atq; in anima, & in animæ ea parte quæ particeps est rationis: patet & potentiarum alias esse rationis expertes, alias esse cum ratione. Quapropter omnes artes omnesq; scientiæ effectiua, potentia sunt. Sunt enim principia mutandi in alio ut aliud est. Atque omnes eæ potentia quæ sunt participes rationis, contrariorum eadem sunt effectrices. Experimentum autem rationis quæq; vnius est principium solum. Calidum enim, calefaciendi tantum principium est: medendi vero facultas, ægritudinis est & sanitatis effectrix: idque ex eo fit, quia scientia ratio quædam est. Eadem autem ratio & rem & priuationem ostendit, non tamen eodem modo. Et partim est vtriusq; partim est magis ipsius rei. Quare tales quoq; scientias contrariorum quidem esse necesse est, vnius tamen per se, alterius non per se. Etenim ratio alterius quidem per se, alterius autem quodammodo per accidens est. negatione enim ablationeue contrarium ipsum ostendit. Priuatio namque prima contrarium ipsum est, hæc autem ablatio est, ut patet. Cum autem contraria fieri in eodem non possint, scientia vero potentia sit cum ratione, atq; anima principium habeat motus, salubre quidem, sanitatem: & id quod calefacere potest, caliditatem: & id quod frigefacere potest, frigiditatem efficit solum. Sciens enim vtrunque facit. est enim amborum ratio, & si non similiter, & in anima ipsa, quæ quidem motionis principium habet. Quare ambo ab eodem principio mouebit ad idem coniuncta. Quapropter ea quæ possunt per rationem, contraria hisce quæ sine ratione possunt, efficiunt. Vnū enim a ratione principium continetur. Patet autem & potentiam tantummodo faciendi vel patiendi, ad eam sequi potentiam, quæ principium est bene faciendi vel patiendi: ad hanc autem illam non semper. Is enim qui bene facit, faciat quoq; necesse est. at eum qui solum efficit, non necesse est & bene etiam facere.

4 Cum autem talia principia partim sint in rebus inanimatis. Quoniam, inquit, potentiarum siue facultatum quædam principia sunt in rebus inanimatis, ut calor in igne, alia vero in rebus animatis, & anima, idq; in parte animæ rationis non experte, sed compote, ut medicina, satis intelligitur facultatum alias esse rationis expertes, alias cum ratione. Itaq; omnes artes tum effectrices, ut ars domus vel naues ædificandi, tum etiam scientiæ, facultates sunt. Communiore autem vocabulo scientias vocauit artes, sunt enim principia mouendi in alio. Nam scientia in parte animæ rationis compote existens, mutat ac mouet animam ad aliquid considerandum & inquirendum. Si ergo facultas omnis est actus facultas, scientiæ autem & artes animam ad aliquid agendum mouent, merito ipsas

Omnes artes ac scientiæ, facultates sunt.

Facultates
rationis cō-
potes, con-
trariorū ef-
fectrices.

facultates appellauit. Hoc autē interest facultatibus rationis expertibus, & ijs quæ sunt cū ratione, quæ omnes rationis participes efficiūt opposita, vt medicina valetudinem ac morbum, rationis vero expertes vnum singulæ. Caliditas enim calefacit solum: quæ si quandoq; refrigerat, hoc tamen non efficit per se, sed ex accidenti. accidit enim ipsius absentia, vt frigus efficiatur. Causa vero cur facultates rationis compotes sint oppositorum effectrices, est, inquit, quòd scientia ratio quædam est, id est facultas cum ratione, cognitio quædam est, vt ita loquar scientifica: ratio autem & cognitio scientifica ostendit, cognoscitq; non modo rem atq; habitum, sed etiam priuationem, rem dico & habitū vt valetudinem, priuationem vt morbum: nisi quod non ambo eodem modo, sed habitum per se. priuationem per accidens. & modo quodam ratio vtrunq; cognoscit, sed modo quodam & magis ipsum esse, siue habitum. Itaq; huiusmodi scientiæ, id est quæ rationis sunt comites, oppositorū sunt: sed habituū quemadmodum diximus, per se, priuationum non per se. (Etenim ratio alterius quidē per se, alterius autem quodammodo per accidens est. negatione enim ablationeue) id est priuatione, quoniam ablatione pro priuatione dixit. (Contrarium cognoscit.) Cognoscens enim per se valetudinem esse temperamentum calidorum & frigidorum, quæ habentur in animali, priuatione huius, id est intemperamento morbum cognoscit. Si enim affirmatio vel habitus valetudinem efficit, haud dubie negatio vel priuatio (neq; enim refert quo nomine appelletur) morbum efficiet. Priuatio enim prima contrarium est. dicit autem primam actus priuationem, si res cum, & quomodo, & quod habere est apta, non habet. Secundam vero priuationem, omnino non habere. Dicere enim lapidem visu esse priuatum, secūda priuatio est. Prima igitur, inquit, priuatio contrarium est habitui. hæc autem est ablatio habitus. hunc enim appellauit alterum. His commemoratis rursus sermonem recipit, & ait. quoniam contraria fieri in eodem non possunt. nihil enim simul est album & nigrum, scientia vero facultas est habenda ratione, id est in eo qui rationem habet, vel scientia est facultas habenda ratione, id est scientia est facultas, propterea quòd rationem habet & causam sui scibilis, atq; anima principium habet motus, scientiā videlicet quæ ipsam, vt diximus, mouet ad considerationes quasdam & inuentiones, profecto salubre valetudinem solum efficit, calidum calefacit tantum, doctus vero vtrunq; quoniam ratio quæ in sciente inest, ambo cognoscit, quanuis non similiter. Est autem huiusmodi ratio, id est scientia, in anima, quæ quidem anima rationem siue scientiā habet principium motionis. quare anima vtrunq; id est habitum & priuationem ab eodem principio mouebit, ac efficiet ad idem contingens. Idem autem dicit partem consideratricem. Contingens igitur, inquit, ambo, id est habitum & priuationem anima, ad idem, id est partem consideratricem ab eodem principio, id est a potentia consideratrice efficiet, tum valetudinem tum etiam morbum. Ac scribet recte, & non recte. Et sic facultates cum ratione oppositū efficiunt, quàm rationis expertes. Si enim facultates rationis compotes vtrunq; possunt, rationis expertes non vtrunq;, sed alterum, opposita proculdubio faciunt. quod enim duo potest efficere, ei quodammodo aduersatur quod non potest duo efficere, sed vnum. Ita cum priuatio & habitus sint in vno principio, hoc est in ratione siue in consideratrice facultate, nimirum anima efficiet vtrunq;. (Patet autem, inquit, potentiam tantum modo faciendi ad eā sequi potentiā, quæ principium est benefaciendi.) Siquis enim recte scribit, sequitur vt idem scribat saltem. nō autem si quis scribat solum, protinus sequetur vt recte scribat, quoniam illi facultas suppetit vtriusq; scribenti duntaxat, non item.

Sunt autem quidam veluti Megarici, qui dicunt eum quandoque posse solum cum operatur: cum vero non operatur, non posse, ceu non ædificantem ædificare non posse, sed ædificantem quando ædificat: & in cæteris simili modo. Quibus ea quæ eueniunt absurda, non difficile est videre. Patet enim ædificatorem non fore, si non ædificet. esse nanque ædificatoris in potentia ædificandi consistit, & in cæteris artibus simili modo. Quod si fieri nequeat vt huiusmodi quisquā habeat facultates nisi aliquando didicerit atq; acceperit, & non habeat rursus nisi quandoq; amiserit, aut obliuione, aut morbo quodam, aut etiam tempore (non enim amittet re ipsa corrupta est enim semper) cum quispiam operari cessauerit, artem sane tunc non habebit, continuo autem rursus ædificabit, quoniam quæso pacto tunc arte sumpta? Inanimata etiam simili modo sese habebunt. Neq; enim calidum, neq; frigidum, neq; dulce, neque omnino quidquam sensibile erit, si non sentiatur. Quare fiet vt idem censeant, quod Protagoras assererat. At vero neq; quidquam sensum habebit, si nō sentiat, nec operetur. Quod si cæcum id est quod visum nō habet, aptū autē est habere, & quādo est aptū, ac insuper vt natura aptū est habere, iidē sane vno in die cæci sæpius erūt ac surdi. Præterea si id est impossibile quod potest, vel esse vel fore dicit, falsum dicit profecto. hoc enim impossibile ipsum significabat. Quare hæc sententiæ motū generationēq; tollūt. Sēper enim & id quod stat, stabit: &

id quod sedet, sedebit. Non enim surget, si sedet. Fieri enim non potest, ut isce surgat, qui surgere nequit. Quod si hæc dici non possunt, patet potentiam & actum diuersa esse. At illæ sententiæ potentiam & actum idem faciunt. Quapropter & non parum quid tollere quærunt. Quare contingit quippiam posse quidem esse, non tamen esse: & posse non esse, attamen esse: & cæteris in prædicamentis simili modo, posse quippiam ambulare, & tamen non ambulare: & item non ambulare, & tamen ambulare posse. Id autem est possibile, cui si is euenerit actus cuius potentiã dicitur habere, non erit impossibile quidquam. Dico autem hoc pacto, si quispiam sedere poterit, is si sederit, nullum eueniet impossibile. & simili modo si moueri aut mouere, & esse aut fieri, & non esse, aut non fieri potest.

Sunt autem quidam, ut Megarici, qui aiunt cum solum posse cum operatur. Megaricos appellat Zenonem, eiusque sequaces. hic enim Megaris docuit philosophiam. Megaricis igitur potentiam & actum idem esse placere ait. Tunc enim ædificatorem facultatem ædificandi habere dicebant, cum ædificaret. eundem ædificare non posse, cum non ædificaret, neque tunc habere huiusmodi facultatem. Nam idem esse potentiam & actum, ac de cæteris similiter differebant. His positus, in promptu esse ait, incommoda quæ hos consequantur, perspicere, qui primum communem omnium sententiam tollunt. Omnes enim, ut sit quispiam ædificator, in hoc positum esse aiunt, quod potest ædificare. Ex dictis autem istorum dubitari non potest, quin cum non ædificat, non sit futurus ædificator. At hoc absurdum est dictu, qui non ædificat, hunc non esse ædificatorem, nec huiusmodi potentiam obtinere. Hæc effatus, ad hæc opinionem refellendam pronuntiata quædam assumit manifesta. vnum, fieri non posse, ut homo quisquam ædificandi aliamve artem habeat, quam nunquam didicerit, neque per disciplinam acceperit. Nemo enim omnino qui non didicisset ædificare, artem habuit ædificandi. Aliud pronuntiatum est huiusmodi. fieri non posse, ut qui tempore, vel obliuione, aut morbo vehementi artem quam habuit, non amiserit, is artem ipsam non habeat. quod quidem oppido manifestum est. quod enim habes, nec abiecasti, hoc quin retineas, cui dubium esse potest? Quod vero ait, (Non enim re abolita) huiusmodi est. Tunc contingit ut ars non habeatur, cum obliuione, tempore, aut morbo amittitur ab eo qui habebat, non si res & materia aboleatur. Si enim lapides omnes sublatos esse fingamus, non protinus fiet, ut ædificator ædificandi artem amittat, sed retinebit etiã tunc lapidibus nullis extantibus. cui similis est cæterorum ratio. Quod autem dicit, (Si enim est) perinde est ac si dicat, si vera sunt quæ dicimus, nec fieri potest, ut qui non didicerit, artem habeat, ac viciissim ne habeat qui non amiserit, & non est necesse ut materia quæ cuique arti subijcitur, abolita, continuo ars ipsa abijciatur, sed hac etiã non existente, nihilominus ars retinetur, quomodo si cum ædificator cessat ædificare, per istorum opinionem atque doctrinam non habet artem ædificandi: quo inquam modo ædificandi arte recepta rursus ædificabit? positum est enim huiusmodi arte præditum esse non posse, qui eam non didicerit. Ipse autem simul atque destitit ædificare, nulla recepta doctrina statim rursus ædificat. At si postquam ædificare destitit, iterum protinus ædificat, haud dubie etiam dum non ædificaret, artem habebat ædificandi, atque ædificare poterat. Si enim, ut istis placet, simul atque destitit ædificare, ædificandi facultatem amisit, quomodo rursus ædificat neque discens, neque per disciplinam recipiens facultatem? hoc enim assumptum est. Præterea cum positum sit, tunc non habere artem, cum tempore, obliuione aut morbo aliquo amiserit, ædificatori autem nihil huiusmodi acciderit, qui fieri potest, ut cum non ædificat, talem facultatem non habere dicatur? Quod in rebus inanimatis similiter contingit. mel enim, vel frigidum calidumve cum nihil in sensibus nostris ager, non erunt per istos, neque mel dulce, neque frigidum frigidum. Ex quo sequitur id quod Protagoras dicebat, qui negabat esse dulce, aut quidquam aliud, sed tales esse res quasque, quales esse a sensu iudicentur. qui si supra in hoc opere conuictus est falsitatis, dubium esse non debet, quin isti quoque fallantur, dum negant huiusmodi facultatem otiosis inesse. ex quo error Protagoræ consequitur. Itaque per istos animalia dum dormiunt, nec sentiunt, nec quidquam sensibus efficiunt, carebunt sensu. Nam si tunc demum potentias habemus, cum sumus in opere, nimirum cum dormimus, nec utimur visu, tunc potentia caremus iterum videndi. Quare si cæcus est, qui aptus est habere visum, eo tamen caret cum habere est aptus, & adhuc est, nec interijt, ijdem sæpe in die cæci erunt. Ego enim qui hac ætate aptus sum habere visum, & exto, nec interijt, si coniuicam, nec videam, nec in hoc efficiam, cæcus sim. quod quidem est absurdum. Præterea si facultate videndi priuatus, videre non potest, profecto per istos quod non fit, hoc ne fieri quidem potest. quia enim cum non efficit aliquid, potentiam non habet, quod vero non habet potentiam, id non potest hoc efficere, cuius potentiam non habet. quod autem non potest, id impossibile est. At quod fieri est impossibile, id nunquam efficietur. Si hoc igitur verum est, & stet quispiam, nec efficiat in sedendo, is potentia sedendi carebit. Si autem non potest, impossibile est sedere. porro si impossibile est hoc fieri, qui dicit vel esse vel fore, hoc est, vel sedet vel sedebit, falsum dicet. Impossibile namque hoc ipsum significat, quod fieri non est possibile. quare qui stetit, is semper stabit, quippe qui potentia sedendi careat. & qui sedet, semper sedebit, quoniam stare non potest. qui autem stare non potest, is nunquam stabit. semper igitur sedebit. Neque vero solum in hæc

Megaricos hoc est Zenonem & eius sequaces coarctat.

Potentiam & actum non esse se idem.

Protagoræ error, res quasque tales esse quales a sensibus iudicentur.

incidunt, quæ proculdubio absurda sunt (videmus enim qui sedebat, stare: ac vicissim sedere, qui stabat) sed etiam motum & generationem tollunt. Sic enim dictio per excessum legenda est. Tolli autem ab istis generationem certum est. omnis namque generatio ex eo quod est potentia, procedit. Nam menses muliebres, qui habent facultatem ut hoc aliquid fiant, illud efficiuntur. Isti vero potentiam tollentes, generationem tollunt, ac proinde motum. Nam quæ mouentur, ea cum moueri possent, antequam mouerentur, mouentur. Si hæc igitur fieri non possunt, satis intelligitur potentiam ab actu diuersam esse. isti autem talia tradentes, potentiam & actum idem efficiebant. Dicere enim, cum operans munere fungitur, tunc posse, hoc est quod actum & potentiam idem efficere. quare qui talia tradunt, non tenue quiddam, sed maxima quæque tollere moliuntur, generationem & motum. Ex his ergo patet, quod esse est possibile, id fieri posse ne sit: exempli gratia fieri potest ut ego vadam, non tamen vado, sed ibo, quoniam huius potentiam habeo. Nam qui non vadit, vadere idem potest: & qui vadit, idem non vadere. Hæc effatus, quid possibile sit definit, dicens. (Id autem est possibile, cui si is euenit actus, cuius potentiam dicitur habere, non erit impossibile quidquam.) Siquis enim sedere potest, huic si sedere contingat, nihil sequetur impossibile. Similis est iacendi standique ratio.

Actus autem nomen, & ad perfectionem ipsam, & ad cætera ex motibus maxime ipsis accessit. Motus enim actus maxime esse videtur. quapropter & hisce quæ non sunt, non motum, sed alias quasdam prædicationes tribuere solent. Intelligibilia autem illa, & desiderabilia dicunt esse, moueri autem non dicunt, idque propterea, quod actu quidem non sunt: esse autem actu possunt. quædam enim eorum quæ non sunt, potentia sunt: non sunt autem, ex eo, quia non actu sunt.

Actus bifariam dicitur.

Actus autem nomen & ad perfectionem ipsam, & ad cætera ex motibus maxime ipsis accessit. Quoniam actus bifariam dicitur, vno modo fines ipsi. nam finis dealbationis, qui quidem est ipsum album in quo cessat & consistit dealbatio, actus dicitur, & pari ratione cæterorum motuum fines actus nuncupantur, quos quidem fines ipse proprie nominat entelechias: vno igitur modo actus ita dicitur, alio vero actus dicitur ipse motus, exempli gratia dealbatio, ne ab hoc exemplo discedamus, quæ quidem & potentia est, & actu. potentia, quia nondum ad entelechiam ac finem peruenit: actu vero, quoniam aliquid habet actus entelechiæ, finis. Siquidem in dealbatione, aut certe in re quæ albescit, aliquid albi inest atque entelechiæ. Cui igitur actus dupliciter dicatur, actus, inquit, entelechiæ atque fini conueniens, id est ut entelechia vocetur actus, ex motibus deductum est. Nam quia motus proprie dicitur actus (in motu enim actus consideratur) motus autem cuiuspiam finis est motus, idcirco finis quoque dicitur actus, propterea, ut dixi, quod actus, qui consideratur in motu, propter finem efficitur. Illud autem (& ad cætera) ob artificiosam adiectum esse puto, quasi dicat. Non solum quæ motum in se ac mouens principium habent, actus nuncupantur, sed cætera etiam, quibus motus extrinsecus affertur. Quomodo autem alia quoque nomen actus fuerint mutuata, exposuit dicens. (Motus enim actus maxime esse videtur.) Et merito, quoniam in fine quies maxime inest, non motus & actus. Sed quoniam quidquid mouetur, aut munere aliquo fungitur, ens quiddam est, idcirco domum quæ nondum est, aut animal non existens, non dicimus moueri aut efficere. Nam si id quod mouetur aut agit, ens est, nimirum non ens neque mouetur, neque agit. quam ob causam generatio, ut in physica demonstratur, non est motus. nam quod generatur, nondum est. Quæ igitur non sunt, ut dictum est, ea non dicimus moueri, quibus tamen alias quasdam tribuimus prædicationes, ut intelligibilia & expetibilia, quia domus etiam non existentis intelligentiam habemus, & fortasse desiderium, si ipsa non est, nobis indigentibus. moueri autem ipsa negamus, quoniam non sunt actus, quanquam actu esse possint, idque quoniam non entium quædam facultate sunt, neque enim omnia. si quidem hircoceruus non est facultate, ut actu possit existere. sed quanquam non entium quædam potentia sint, tamen est de ipsis prædicatur, non quod sint, neque enim sunt, cum non sint actu, ea namque esse dicimus, quæ actu sunt, sed quoniam fieri possunt & esse.

Quod si id quod diximus, est id quod possibile est, ad quod sequitur actus: patet fieri non posse quo vere quispiam dicat, possibile quidem esse hoc, non autem fore. Alioquin nos prætereunt ea quæ impossibilia sunt: veluti si quispiam diametrum dixerit mensurari posse, non tamen mensuratum fore, non animaduertentes, id quod impossibile est, esse: ex eo quia nihil prohibet, ut quippiam possit quidem esse vel fieri, non sit autem, neque fiat. Sed illud ex suppositis sequatur necesse est, si supposuerimus id esse aut fuisse, quod non est quidem, potest autem esse, nullum emergere impossibile. At emerget sane. est enim impossibile diametrum mensurari. non est enim idem falsum ac impossibile. te namque nunc stare, est quidem falsum, at non impossibile.

Quod si quod diximus, possibile est quatenus sequitur, patet fieri non posse, ut vere quisquam dicat possibile quidem esse hoc, non autem fore. Præfatus ea dici possibilia, quæ non quidem sunt, fieri

tamen possunt, ait. Si quod diximus possibile est, quatenus sequitur, id est si possibile dicitur, quatenus fieri potest, & ipsum consequitur agere, non est verum dictu, aliquid esse possibile, non tamen fore, nec posse in actum peruenire. ea namque possibilia dicuntur, quæ possunt in actum peruenire eius quod possunt. Siquis autem dicat esse aliquid possibile, quod tamē fieri nequeat, neque in actum exire, fugiat nos lateatque quidnam sit possibile. Nam si possibile id esse dicimus, quod non est, tamen si esse ponatur, nihil eueniet impossibile: impossibile vero quod neque est, & si esse ponatur, aliquid impossibile sequitur, dicat autem aliquis quidquam esse possibile, non tamen fore, nec in actum exire posse, quomodo possibilis & impossibilis discrimen agnosceremus? Exempli causa. Cum possibile sit lignum comburi, si quis dicat lignum comburi, possibile quidem est, sed nunquam comburetur, & idem dicat, dimetientem quoque mensurari possibile est, sed nunquam mensurabitur, quid hoc ab illo discrepabit? cum ambo impossibilia esse dicantur, sed nunquam futura? Itaque perinde dimetientem erit mensurabilis, ut lignum combustibile. quod si ita est, nimirum quid impossibile sit ignoramus, utrum dimetientem mensurari, an lignum comburi. Ergo qui non animaduertit, inquit, neque intelligit quid sit impossibile, & quod differat a possibili, is dicet fortasse, nihil obstare, quo minus quod est possibile esse, vel fieri, id neque sit nunc, nec in posterum. Nam si naturam impossibilis cognosceret, non adeo inconsiderate ac temere diceret diametrum commensurari esse possibile, sed nunquam esse mensurandum: & lignum comburi, nunquam tamen esse comburendum. Sed diametrum mensurari esse impossibile declararet, & nunquam esse mensurandum, lignum vero confirmaret comburi posse, & comburendum esse. Sed hæc fortasse diceret qui ignoraret quid sit impossibile. Illud vero ex ijs quæ posita sunt est manifestū. positum est autē, quod possibile est, id aliquando futurum. quod si ponamus id esse quod non est, fieri tamen potest, nihil accidet impossibile. Nam si cum tu sedes, ac deambulare potes, te deambulare ponamus, ex hac positione nihil sequetur impossibile. Si hoc igitur verum est, & quispiam dicat, hic qui sedet, potest quidem deambulare: nunquam tamen deambulabit: similiter dimetientem mensurari potest, sed nunquam mensurabitur. si hoc ergo nihil ab illo differt, profecto quemadmodum in illo nihil impossibile contingit, sic ne in diametro quidem. At si detur diametrum mensurari, sequitur, ut paria imparibus æqualia sint, quod est admodum impossibile. quod ex eo accidit, quod natura non perspicitur, neque discrimen possibilis, & impossibilis. & quod impossibile esse possibile dicitur, sed nunquam fore. Ex hoc igitur palam fit, si quid impossibile est, id omnino fore. Accidit autem hoc impossibile, ut paria inquam imparibus æqualia sint, non præter positionem illam quæ ait, demus diametrum mensurari. nam si præter hanc positionem sequeretur, nimirum impossibile in eo quoque accideret, qui sedet, sed deambulare dicitur. in quo tamen quod colligitur, falsum est, sed non impossibile. in diametro vero falsum est & impossibile. Itaque si idem esset falsum, & impossibile, positio quæ sedentem deambulare ponit, nihil ab ea differret, quæ diametrum mensurari ait. nunc cum diuersa illa sint, positiones quoque sunt differentes.

Insuper etiam patet, si cum a est, necesse est b esse: si possibile est a esse, & b necessario possibile est esse. si enim non necesse est possibile esse, nihil prohibet, ut non sit possibile esse. Sit igitur ipsum a possibile. Cum igitur ipsum a possibile est esse, si positum fuerit, nullum impossibile esse accidet, b autem necesse est esse. At impossibile erat. Sit igitur impossibile. si igitur ipsum b impossibile est esse, necesse est & a impossibile esse. At primum est, ergo secundum. Si ergo a est possibile, & b possibile erit, si ita sese habebant: ut cum a est, necessarium sit & b ipsum esse. Si igitur a & b ita sese habentibus, b non sit hoc pacto possibile: neque ipsa a b sane ita sese habebunt, uti posita sunt. Quod si cum a possibile sit, & b possibile esse necesse est, si est a, necesse est & b esse. Possibile enim esse necessario b ipsum esse, si a possibile sit, hoc sane significat, si est a, & quando est possibile, & ut est possibile esse, & illud tunc, & ita necessario esse.

8 Insuper etiam patet, si cum a est, necesse est b esse.) Demonstrato quod potest aliquid fieri, hoc fore id, cuius potentiam habet, quod demonstrauit docens, si quis dicat quod fieri aliquid est possibile, id nunquam futurum, hunc idem efficere impossibile atque possibile, & nobis impossibile quale sit ignotum fieri, hoc igitur demonstrato, ex eo palam fieri ait, si cum a est, sequitur necessario ut b sit, si a possibile sit, b quoque possibile esse: si necessarium, b quoque necessarium. & si existat a, perinde b extitutum. Siquis autem occurrat dicens, a existente necessario, consequitur b, non tamen si a est possibile, erit etiam b possibile: nihil obstat, inquit, quo minus b sit non possibile. Est autem sensus, si cum a est possibile, b non est possibile, erit utique impossibile. hoc enim opponitur possibili. Sit, inquit, a possibile. cum ergo sit possibile, si existat, positio falsa erit, non tamen impossibilis. existat igitur a. positum est autē si a sit, esse item b: si ergo est a, item b est per primam positionem, sed & non est. nam quod est impossibile, id profecto nunquam fiet. At si esse, & non esse b est impossibile, falsa est positio, ex qua hoc fuit consecutum, quæ quidem ea est quæ ait, si a sit possibile, b comitem ipsius non fore possibile. Perspicuum est igitur, si a est possibile, b quoque possibile fore, si ita sese habeat

bant a & b, & subiicit, quomodo sese haberent, vt cum a est, necessarium est b esse. vbi ergo demonstrauit, si a sit possibile, b quoque comitem eius necessario esse possibile, ostendit, si a sit, b itidem fore. Postquam vero dixit, (si ergo a & b ita sese habentia, habebunt vt positum est) id est, si a & b sese vt positum est, habebunt, addit (ac si cum a sit possibile, necesse est b esse) quod perinde est, ac si diceret: si positum est atque demonstratum, si a sit possibile, b quoque possibile fore: si hæc igitur ita sese habent, dicimus, inquit, si a sit, vt b quoque sit, esse necessarium. Dicere enim, si a sit possibile, necessario consequi, vt etiam b sit possibile. hoc enim significauit cum diceret (si cum a possibile sit, & b possibile esse necesse est) dicere igitur, si a sit possibile, necessario sequi, vt b possibile sit, hoc significat: si sit a, & quando fuerit, tunc esse b. Illud autem (& vt est possibile esse) æquipollet huic, Et si a est necessarium, b quoque necessarium erit: & possibile, si a possibile fuerit.

Cum autem potentiarum alia natura insint, vt sensus: alia consuetudine, vt modulandi facultas: alia disciplina, vt artes: eæ quidem quæ consuetudine comparantur ratione, vt per operationes antecedentes habeantur necesse est. Quæ vero tales non sunt, & quæ patiendi potentia sunt, eas non necesse est hoc pacto haberi. Quoniam autem ipsum possibile aliquid potest, & quandoque, & aliquo modo, & quæcunque alia in definitione sunt adiungenda, & alia per rationem mouere possunt, potentiaque ipsorum cum ratione sunt. Alia sunt expertia rationis, & potentia ipsorum rationis identidem sunt expertes. Et illas quidem in animante, has autem in vtrisque esse necesse est. Talibus quidem potentiis passiuum atque actiuum cum sint vt possunt proxima: alterum agat, alterum patiatur necesse est: at illis non est necesse. Harum enim omnium quæque vna vnus est effectiua. Illarum vero quæque contrariorum. Quare faciet contraria simul, quod quidem fieri nequit. Aliud ergo quippiam habeat auctoritatem necesse est. Id autem est appetitus, aut electio. Vtrum enim appetierit, id sane faciet cum est vt potest, atque propinquum est ipsi passiuo. Quare id omne quod per rationem potest, id agat cum appetit, cuius potentiam habet, & vt habet, necesse est. Habet autem ita, vt agat præsentem, atque sic se habente passiuo: alioqui agere profecto non poterit. Hoc enim, nullo inquam externorum prohibente, non est vltius adiungendum. Ipsam nanque potentiam habet, vt est potentia faciendi. at est non omnino, sed aliquo modo sese habentibus, in quibus & ea quæ prohibent foris comprehenduntur. Hoc enim eorum nonnulla quæ in definitione insunt, auferre videtur. Quocirca neque faciet duo simul, aut contraria, etiam si simul ipsa velit aut percipiat facere. Non enim ipsorum hoc pacto potentiam habet, neque est ipsa potentia simul agendi facultas. nam quorum est, ita faciet illa.

Cum autem potentiarum alia natura insint, vt sensus.) Hæc verba eo pertinent, vt appareat quæ facultates absque operibus antecessis non existant, & quæ secus. Sic igitur ait, cum facultatum omnium quædam cognatae sint, id est, nobiscum generentur, atque condantur. sensus enim nobiscum nascuntur, non genito animali ingenerantur. (alia consuetudine) nam facultas qua tibicen tibia personare potest, non est ipsi cognata, sed ex consuetudine ingeneratur ei. (Alia disciplina) vt ars ædificandi, & simpliciter artes. facultates igitur quæ consuetudine vel ratione existunt, non ingignuntur absque antecedentibus operibus. Quæ vero siue agendi siue perpetiendi facultates, rationis expertes sunt, eas nihil est necesse vt opera præcedant. Neque enim ignis prius effectit, & sic ei potentia est ingenerata comburendi, neque lignum vt comburi possit, sed simul atque ignis est, proxima quæque adurit, & lignum aduritur, si admoueatur. Sed quoniam possibile, quod aliquid possit, possibile dicitur (& quandoque) neque enim quouis modo ignis adurit, sed cum admouetur combustibili, & cum a nullo prohibetur, quæcunque per rationem mouere possunt, horum facultates cum ratione sunt: ac vicissim quæ absque ratione, vt ignis, eorum facultates expertes sunt rationis. Facultates porro cum ratione in re animata sint necesse est. Rationis vero expertes vtrouique inesse possunt, id est, tum in re animata, tum etiam inanimi. Animæ nanque quæ habentur in expertibus rationis, facultates sine ratione sunt in re animata. Item per facultates absque ratione, cum id quod agere potest, accessit ei quod pati necesse est, vt alterum efficiat, vt efficiere potest, alterum vt pati potest, patiatur. quod in rationis compotibus non est necessarium. Neque enim est necesse, vt quoties præceptor cum discipulo congregitur, alter doceat, alter addiscat. Et facultates rationis expertes proprie vnus tantum sunt effectrices: vt facultas ignis calefaciendi. Adieci autem proprie, quoniam ignis per accidens refrigerat, si auertatur, & absit. Rationis vero compotes, oppositorum etiam effectrices sunt, vt medicina valetudinis, & morbi. Siquis autem dicat facultates quoque cum ratione simul atque accedunt, alteram efficere, alteram pati, vt ratio

Facultatū
aliæ nobis
sunt cognatae,
alia consuetudine
aut disciplina
partæ.

Facultates
quædam cum
ratione, quædam
sine ratione.

nis expertes. ignis enim simul atq; comburendis admouetur, comburit. si quis igitur hoc dicat, & facultatibus cum ratione necessitatem tribuat vt rationis expertibus, hic nihil aliud quam opposita eidem adesse censeat. Nam vt ignis, qui potest adurere, simul atq; comburendis appropinquat, ex necessitate ipsa comburit, sic medicus cum possit valetudinem ac morbum afferre, si necessario simul atq; appropinquat, efficit quæ potest, nimirum simul & valetudinem afferet, & morbum. quod fieri non potest. Quamobrem in facultatibus cum ratione quidam quasi dominus est, qui opposita non sinit efficere, sed alterum, quod scilicet appetit. hic autem est appetitus vel electio. Quidquid enim dominus appetierit, id efficiet cum adest vt potest, & passiuo appropinquauit. Exempli gratia si potest vt valetudinem, sic morbum afferre, vt appetierit, id vt potest efficiet, non vt non potest. Itaque omne quod per rationem possibile est, cum id appetit, cuius habet facultatem, ac vt habet, ipsum efficiat necesse est. Si enim facultatem habet valetudinem afferendi, hoc ipsum efficiet. habet autem medicus facultatem afferendi valetudinem. præsentem igitur passiuo, id est homine, ac sic se habente, hoc est ægrotante, ipsum sanabit. Sin autem sanandi facultate careat, non sanabit. Hoc est enim quod ait, (alioqui agere non poterit.) Præfatus vero possibile cuius potentiam habet, ac vt habet, effecturum in passiuo, quoniam huic definitioni addere oportebat, nullo externo prohibente, vt oratio plena esset huiusmodi, possibile id cuius potentiam habet, ac vt habet, & nullo externo prohibente, efficiet. Nam si potentiam habeat efficiendi, a quopiam autem prohibeatur, omnino non efficiet. Quoniam hæc igitur dixerat, nec apposuerat, vt diximus, illud nullo externo prohibente, ait (hoc enim nullo inquam prohibente non est vterius adiungendum.) Dicentes enim vt habet, complexi sumus & illud, nullo externo prohibente. Nam vt est facultas efficiendi, sic ipsam habet. habet autem non vtcunque & omnino, sed cum sic habet. (in quibus) id est, in his verbis, vt habet, & sic habens, comprehenditur, nullo externo prohibente. Qui enim dicit efficiens efficere vt potentiam habet, & sic habens, is nullo etiam prohibente dicit. Nam quædam eorum quæ in hac definitione adsunt, vt illud habet, vel sic habet, complectuntur illud nullo externo prohibente aut impediante. Itaque tolli hæc, nullo inquam prohibente aut impediante, nec patitur in definitione inesse. Et quoniam efficiens sic efficit vt habet, & vt potest, medicus non efficiet simul morbum & sanitatem, vt medicus est. Neque enim sic habet potentiam, vt simul hæc efficere possit, sed vt vicissim. (Nam quorum est) id est, quorum habet facultatem, vt simul ipsa efficiat: sic efficiet, id est simul, ac vt habet efficiendi facultatem.

Cum autem de ea potentia dictum sit, quæ ad motum accommodatur, de actu deinceps determinemus oportet, quidnam sit ipse actus, & quale quid sit. Nam si diuiserimus ipsum, simul & ipsum possibile sane patebit. Non solum inquam id possibile dici, quod aptum est aliud mouere, aut ab alio moueri, aut simpliciter, aut aliquo modo, sed alio etiam modo. Qua de re quærentes, & de hisce quoq; transigemus. Est itaq; actus re non ita sese habere, quemadmodum potentia dicimus esse. Dicimus autem potentia esse, vt Mercurium in ligno, & dimidiam lineam in tota, propterea quod auferri ab ea potest: & scientem cum etiam qui non contemplatur, si contemplari possit. illud autem actu esse. Patet autem in singulis inductione id quod dicere volumus: & non cuiuslibet quærere definitionem oportet, sed ipsam quoq; similitudinem rationis animaduertere: veluti vt ædificans sese habet ad ædificatiuum, & vigilans ad quod dormit, & videns ad id quod claudit quidem oculos, visum autem habet: & id quod a materia est seiunctum, ad materiam ipsam: & id etiam quod est extructum, ad non extructum, sic & quippiam est ad quippiam, & differentia huius altera parte actus, altera id quod potest, sit definitum. Atq; non omnia actu similiter esse dicuntur, nisi similitudine rationis, hoc pacto vt hoc in hoc, aut ad hoc, sic hoc in isto, aut ad istud. Alia enim vt motus ad potentiam, alia vt substantia ad aliquam materiam dicuntur.

10 Cum autem de ea potentia dictum sit, quæ ad motum accommodatur, de actu deinceps determinemus.) Differuit de facultate quæ pertinet ad motum. hæc autem est prima informis que materia, nunc de actu disputat, quid, & cuiusmodi sit. Sed quæstione, inquit, huiusmodi differenda, illud simul de possibili apparebit, non id solum possibile nuncupari, quod aliud mouere idoneum est. ignis enim, vt in hoc exemplo versetur, calefacere aptus est, aqua vero moueri, & calefieri ab igne, aut ab alio, quod vim habeat calefaciendi. Illud vero (simpliciter, aut aliquo modo) adiectum est, quoniam in quarto huius operis libro in quæstione de possibili docuit quot modis ipsum dicatur, possibilis videlicet vel cum simpliciter ac vtrunque possunt, siue in peius ac interitum, siue in melius, possibilis nuncupari, vel cū in peius non vocari possibilis: tunc vocari, cū in melius. Itaque (simpliciter) dictum est pro vtcunque, ac indeterminate: illud vero (aliquo modo) pro determinate. siue aliter. Differentes ergo, inquit, de actu, illud quoque aperiemus, non id modo possi-

bile nūcupari, quod aliud mouere potest, vel ab alio moueri, sed etiam alio modo dici possibile. quare disputātes, inquit, de hoc quod aliter possibile dicitur, de alijs quoq; differemus, quæ mouere, mouerive possunt, quasi ex hoc illud sit in aperto futurum. Hæc effatus incipit de actu differere dicēs.

Actus. Actus est cum res existit, non vt ne agat cum possit agere (sed quod actu) id est, sed illud est actu, quod sic est actu, & agit, vt cum prius non ageret, agere tamen posset, iam agat. Atque hic quidem est ordo dictorum, & ad hunc modum legi debet. deinde illud (dicimus autem potentia esse, vt Mercurium in ligno.) quibus verbis exponitur illud (non ita se habere, quemadmodum potentia dicimus.) quomodo autem potentia esse dicamus, suggerit dicens, vt in ligno Mercurij formam non habente, Mercurium esse dicimus, propterea quod Mercurij formæ sit capax. & in diametro medietatem inesse, quoniam potest ab ipsa diametro diuelli, & esse actu per se. & scientem eum qui non contemplatur, potest tamen contemplari. Cum ergo dixisset, actus est rem ita esse, non vt potentia dicimus, & non efficere, sed quod actu etiam operatur: ait, (patet autem in singulis inductione id quod dicere volumus, & non cuiuslibet rei quærere definitionem oportet.) Neque enim omnia definitionibus cognoscimus, quoniam ne habentur quidem omnium definitiones, vt in sexto huius doctrinæ libro demonstratum est, sed aliqua per inductionem ac similitudinem siue proportionem conspiciamus cognoscimusque. quod si ita est, nimirum ex singularibus atque inductione, non definitione actum cognoscere oportet. quod vt fiat apertius, sit actus & agere quod explicare volumus, Socratem scribere. Hoc igitur per rationis similitudinem & particularia in hunc modum exponemus, vt ædificare & iam efficere sese habet ad ædificatorem & non efficere, qui tamē potest ædificare, & vigilans ad dormientem, qui potest vigilare, & videns ad conuiuentem, qui visum habet, & a materia secretum ad materiam. quod quidem obscure dictum est. videtur enim formam a materia separatam dicere, sed non dicit. neque enim ipsi placet naturalem formam aliquando esse a materia seiunctam, sed a materia seiunctum vocat, vt agamus pingui Minerua, statuam comparatione æris quod statuæ formam nunquam habuit, sed habere potest, item vt arca confecta se habet ad informe lignum, quod elaborari & arca fieri potest: vt hæc igitur sese habet, sic & quidpiam est, id est, sic Socrates sese habet ad non scribentem. si sic ergo dicamus, haud dubie actus quē Socrates agit, expositus fuerit, id est ipsum scribere. Et differentiæ huius, inquit, differentiam appellans copulam similitudinis, qualis est illa, vt videns sese habet ad conuiuentem, & illa, vt vigilans ad dormientem. huius igitur differentiæ altera pars erit actus, videre scilicet atque vigilare, altera possibile, conuiuens & dormiens: quoniam ille videre, hic vigilare potest. Cum ergo actus dixisset definitionem quærendam non esse, sed inductione qualis sit actus explicandum, & quomodo id faciendum esset docuisset, ait, quanquam omnia quæ actu sunt, per rationis similitudinem dicere oporteat: non tamen similiter omnia dici, sed quædam vt motus ad facultatem, alia vt substantia ad materiam: vt si dicas, quemadmodum ambulans se habet ad sedentem, sic Alexander ad menses muliebres. Ambulans enim dicitur vt motus ad potentiam, id est vt affectio ad affectionem: Alexander ad menses muliebres, vt substantia ad materiam. Nam menses muliebres sunt hominis materia. In eo vero quod interiectum est (nisi similitudine rationis, hoc pacto, vt hoc in hoc, aut ad hoc) illud (in hoc & ad hoc) commemoratio est similitudinis, quasi dicat, quæ rationis similitudine siue analogia dicuntur. Quomodo autem similitudine rationis dicantur exponens, ait, vt hoc in hoc. exempli gratia, vt visus in oculo, intellectus in anima, & vt ædificans ad id quod ædificatur, & scribens ad id quod scribitur. vel ad hoc, sic hoc in hoc, vel ad hoc. quæ igitur analogia dicuntur, ea non omnia similiter dicuntur, sed quædam vt motus ad potentiam, quædam vt substantia ad materiam.

Menses muliebres, hominis materia.

Atqui alio modo & infinitum ipsum, & vacuum, & quæ sunt istiusmodi, potentia atque actu dicuntur, & alio modo complura eorum quæ sunt, vt videns, & ambulans, & quod videtur. etenim fit vt hæc & simpliciter quandoque vere dicantur. Dicitur enim videri aliud quia videtur, aliud quia videri potest. At infinitum non hoc pacto potentia est, vt actu separatam tandem euadat, sed cognitione. hoc enim, diuisionem inquam nunquam deficere, præstat quidem vt potentia sit iste actus: vt separaretur autem, non præstat. Quid igitur est atque quale actu quippiam esse, ex his & istiusmodi manifestum sit nobis. Quando vero vnumquodque potentia est, & quando non est, determinandum deinceps esse videtur. Non enim quandouis potentia est, veluti, est ne ipsa terra potentia homo, an non est, sed potius cum iam fuerit semen? Et neque tunc modo quodam fortasse: quemadmodum neque a medendi facultate quoduis, neque a fortuna sanabitur, sed est quippiam quod est possibile, atque id est potentia sanum. Definitio autem eius quod ex eo quod est potentia, a mente fit actu, sic assignari potest. Est ne id quod fit cum voluerit id quod agit, nullo eorum quæ sunt extra, obstante. Ibi autem in eo quod sanatur, cum nihil eorum prohibet quæ sunt in ipso, sic est & quippiam po-

tentia domus. Nam si nihil eorum quæ sunt, in hoc, & in materia prohibeat ut domus fiat, neque quidquam sit adiungendum, aut auferendum, aut mutandum, id est profecto potentia domus, & in cæteris simili modo. Quorum foris est principium generationis, & quorum in ipsis est, quæ quidem nullo prohibente externo per se operabuntur. Et semen nondum potentia dicitur, sit enim in alio atque mutetur oportet, quando vero per suum principium iam tale est, id iam potentia est. Illud autem alio principio indiget, quemadmodum terra nondum est potentia statua. si mutabitur enim, æs erit, ut patet.

11 Atqui alio modo infinitum ipsum, & vacuum, & quæ sunt huiusmodi, dicuntur. Quoniam quibus infinitum esse placebat, in quibusdam facultate ipsum esse dicebant, (nam ut in leuibus corporibus actu, sic in grauius facultate infinitum esse tradebant) idcirco facultate & actu aliter ait in plerisque rebus esse dici, exempli gratia in vidente ac ambulante: itaque in non vidente, & non ambulante aliter inesse dicitur potentia & actu. non videns enim videre dicitur, quia potest efficere & fieri actu videns. Similiter videns non videre dicitur, quomodo fieri potest actu non videns. Aliter ergo in his potentia dicitur, aliter in infinito & inani. Magnitudo enim potentia dicitur infinita, non quod actu fieri possit, sed quia in infinito secari potest. Nam neque infinitum, neque inane in rebus esse, in physica demonstratum est. (quoniam quod videtur, inquit, quia videtur: aliud autem, quoniam videri potest) id est, nam quod videtur, non videri dicitur, quoniam quod videtur, potest non videri. sic enim locus hic accipi debet. quod vero non videtur, videri dicitur, quoniam videri potest. At infinitum non hoc pacto ut separatim in futurum, siue actu per se, sed cognitione. Intelligimus enim in infinitum & numerum augere, & magnitudinem secari, actu vero nunquam fit. & causam cur potentia sit semper ut infinite diuidatur, suggerit, dicens. (Nam diuisionem nunquam deficere prestat, ut potentia sit iste actus) id est, posse magnitudines agere per diuisionem in infinitum prestat. Quid autem est prestant? nempe hoc, diuisionem non deficere. quia enim sectio non deficit in magnitudinibus, sed quæcumque magnitudo detur, potest in partes duas secari, ex eo suppeditatur & quali manat, ut magnitudines secari possint infinite, propter quod non deficit (ut potentia sit iste actus) id est magnitudines potentiam habeant agendi quatenus indefinite diuiduntur, non aliunde ipsis suppeditatur, quam quod diuisio nunquam deficit. Nam si diuisio bipartita in magnitudinibus deficeret, non secarentur in infinitum, neque potentiam huius obtinerent. at quoniam non deficit, idcirco facultatem habent ut secantur in infinitum. & hoc ipsum, ut secantur inquam in infinitum, ex eo suppetit, quod sectio non deficiat, a quo tamen non suppeditatur ut in infinitum separetur, & actu existat. (Esse igitur actu, quid & quale sit, ex his & talibus manifestum sit nobis) quoniam libro 4. in mentione actus & potentie dixerat. Quando igitur talia potentia dicuntur & actu, & quando secus, alio in loco disputandum est, idcirco nunc cum concludens de actu dixerit (esse igitur actu, quid & quale sit, ex his & talibus manifestum sit nobis) quod illic pollicitus est, nunc dicit (quando vero unumquodque potentia est, & quando non, determinandum est. nec enim quæcumque dicuntur) ac nisi fallor, proximam cuiusque materiam potentia id esse ait quod potest, non item remota. Quærit igitur utrum homo facultate sit. & percontatus respondet dicens, an non? id est, non est, sed potius cum facta est semine genitale, ac ne tunc quidem potentia homo est, sed cum fuerit in foemina contactum, neque hoc fortasse, nisi receptaculum sit idoneum. Ut enim non omnia possunt a medico sanari, neque fortuito (nam neque ligna neque lapides possunt, quare ligna sanabilia esse negamus) sic ne terram quidem hominem esse facultate dicimus. Hæc effatus, quoniam eorum quæ potentia sunt, quædam ab intellectu in actum reducuntur, ut artificiosa, nonnulla fortuito (quod enim sanari potest, id nonnunquam fortuito sanatur) docet nos quomodo definire oporteat non solum id quod a mente in actum reducit, quod reduci potest, sed etiam id quod efficitur. sic igitur ait (definitio autem eius, quod ex eo quod est potentia, a mente fit actu) id est, quod ex potentia in actum transit, idque non fortuito, sed ab intellectu, defini potest in hunc modum. ac definitionem protinus subiungit, cum aliquid auctore volente fit, re nulla externa prohibente. quasi dicat, quod ab intellectu reducitur in actum, est id quod in actum reducitur, cum vult ipsum reducens, re nulla exteriori obistente: ut medicus quando vult ex potentia in actum reducitur ægrotantem, si re nulla externa prohibeat, id est loco, tempore, vel quopiam alio. si quis igitur actum efficietis ab intellectu definire velit, sic debet definire. qui vero patientis, in hunc modum, cum nihil internum obstitit. Tunc enim ægrotans ab intellectu sanari dicitur, cum eorum quæ in ipso habentur, nihil ipsi obstat quo minus conualescat, sed omnes ipsius partes opportune sunt recipiendæ valetudini. Similiter ligna & lapides potentia dicuntur domus, si nihil prohibet, inquit, eorum quæ sunt in hoc. & quid illud hoc significet, exponit dicens, & in materia: quasi dicat, tunc hæc potestate dicuntur domus, cum eorum quæ sunt in materia, nihil prohibet, neque in ea quicquam est quod sit vel adijciendum, vel commutandum. Si enim ligna vel lapides addere oporteat, vel demere si forte redundant, aut commutare si cum rudia sint secari indigeant atque expoliri, non dicuntur potestate domus. Sin autem materie nihil neque addere neque demere opus sit, neque mutare, tunc & sunt & dicuntur potentia domus. cui similis est ratio cæterorum, tum quibus principium generationis extrinsecus adest, qualia sunt artificiosa: tum quibus est in ipsis, cuiusmodi sunt naturalia. potestate enim dicuntur (cum nullo, inquit, externo prohibente erunt per se) id est, cum res per se efficit, si naturalis est. Nam illud per se, non debet ad utraque referri, ad artificiosa dico, & naturalia, sed ad naturalia duntaxat: ut semen exempli gratia, tritici granum cum vase

Facultate
& actu aliter
atque aliter
in diuersis
rebus dici

continetur, nō dicitur potestate spica. in alio enim vt in terra accipiat oporet, ac cōmutetur. Cum vero in terram ceciderit, & iam per sibi insitū principium fuerit tale, vt scilicet germinare queat, tūc potentia dicitur spica. illud autem granum inquā tritici quod vase continetur, non dicitur potentia spica, quoniam indiget altero principio, hoc est terra. Neq; terra facultate dicitur statua, cū non fiat statua commutando, sed æs. æs autem dicitur statua potentia, quia mutando efficitur statua.

Videtur autē id quod dicimus, non hoc esse, sed illiusmodi, vt arca non lignum, sed lignea: neq; ipsum lignum terra, sed terreum. Terra rursus si hoc modo non aliud, sed illiusmodi sit, semper illud potentia simpliciter est, quod posterius est, velut arca nō terrea neq; terra, sed lignea est. hoc enim est potentia arca, materiaq; ipsius hoc simpliciter quidem eius quæ est simpliciter, huius autē lignum hoc. Quod si quippiam sit primū, quod non vltius per aliud dicitur illiusmodi, hoc est materia prima: veluti si sit aerea terra, aer autem non ignis, sed igneus: ignis est materia prima, quæ quidem hoc aliquid est. in hoc enim vniuersale subiectūq; differunt, quōd alterum hoc aliquid est, alterum nō est, vt homo quidem & corpus ac anima subiectum est ipsorum affectuum, affectus autem est musicum atq; album. Illud itaq; cum orta fuerit musica, non musica, sed musicum dicitur: & homo non albedo, non ambulatio, sed album & ambulans, vt ipsum illiusmodi dicitur. Quæ igitur hoc pacto dicuntur, in his vltimum est substantia. Quæ vero non hoc pacto dicuntur, sed forma quædam, atq; hoc aliquid est id quod prædicatur, in iis vltimū est materies, substantiaq; materialis. Et recte igitur fit, vt ipsum illiusmodi & per materiā & per affectus dicatur. Ambo enim sunt, vt patet, indefinita. Quando igitur quippiam dicendū est potentia esse, & quando non est dicendum, satis iam diximus.

Videtur autem id quod dicimus, non hoc esse, sed huius: vt arca non lignum, sed lignea: nec lignū terra, sed terreum.) Quoniam materia potestate est formæ ipsæ, & a forma diuersa, idcirco cōpositum non appellatur materiæ nomine. neq; enim arcam lignum appellamus, sed deriuato vocabulo ipsam illius esse dicimus, hoc est lignea. Vel fortasse non est hic sensus horum verborum, sed ille, materiam remotam potentia esse non dici, propterea q; res non denominantur ex ea, sed ex proxima. Siquidem arcā ligneam esse dicimus, nō autem terrenam. Aut ne hic quidē sensus est, sed docet nos opinor qua regula materiam vltimam dignoscamus, & qua non sit altera prior, in hanc sententiam. Quæ ex alijs denominantur, ea sunt proximæ materiæ, & quibus nulla posterior est. sed ea vltima est, quæ huiusmodi occurrit, vt non denominetur ex alia. quorum verborum hunc esse sensum ipse exposuit dicens. (Terra rursus si hoc modo, nō aliud) id est, si denominādo dicatur, exempli gratia aerea, nec dicatur aliud, id est terra simpliciter, quod aliud dicitur, & non illius, hoc simpliciter & proprie posterius est, exempli gratia, primum si ad arcam spectes, est lignum, posterius vero terra. sed neq; simpliciter posterius hæc est, sed extrema materia. Si ergo, vt diximus, est aliquid primum. nam quod supra vocauerat vltimum, id nunc appellat primum, alia ratione. incipientibus enim ab infimo, primum est. si quid est ergo primum, neq; dicitur ab alio, nec denominatur a quoopiā, id materia prima est, exempli gratia terra est aerea, aer igneus, ignis non denominatur ab alio, ignis erit materia prima quæ hoc aliquid est, neq; dicitur ab aliquo. (In hoc enim, ait, vniuersale subiectūq; differunt) vniuersale nunc simpliciter appellans omne prædicatum, siue substantia id sit, siue accidens, subiectum vero substantiā. hoc igitur ea differūt, quōd subiectum est hoc aliquid, & ab affectionibus denominatur, affectiones ex ipsis non item. & si musica in anima fuerit ingenerata, anima non vocatur musica, ipsa videlicet disciplina, sed musicum: & homo non appellatur albedo, sed album: nec ambulatio, vel motus, sed ambulans, & moueri dicitur. Et simpliciter quemadmodum dicitur illud (illius) sic album secundum hunc intellectum. nam & ipsum denominatiue dicitur. album enim idē pollet atq; ligneum, quasi ex albedine: & quæcunq; sic dicuntur, vt album, vel musicum. Et omnino quæ perinde dicuntur, vt quæ secundū affectiones, horum vltimū atq; subiectum substantia est. (quæ vero, inquit, non sic, sed forma quædam dicuntur, atq; hoc aliquid est id quod prædicatur) nam cum dico album, non formam quampiam, aut hoc aliquid dico: cum vero statuā, statua forma quædam est & hoc aliquid, similiter imago & domus: subiecta vero statuæ vel domus, vel imaginis, non quasi formæ subijciuntur eis, sed tanquam materia, & substantia materialis. Ex quibus intelligitur eorum quæ tanq; formæ dicuntur, & eorū quæ quasi affectiones, hoc esse discrimen, quōd ex affectionibus subiecta dicuntur. a musica enim musicus dicitur, ab albedine albus. affectiones autem non dicuntur ex subiectis, nisi per accidens. siquidem album hominem per accidens esse dicimus, nō autem per se. contra vero in ijs quæ tanquam formæ dicuntur. formæ enim ex materia subiectoq; nuncupantur. Nam statuam dicimus æneam, non æs statuam: & arcam ligneam, non lignum arcam. Hæc effatus infert, recte illud (illius) dici secundum materiā & affectiones. Nam cum affectiones a subiecto definiantur (album enim per se indefinitum est, siquidem omnino absq; subiecto consistere nequit) si militerq; materia a forma, merito illud illius quod de alterutro dicitur, itidem dicitur de altero.

Vniuersale
& subiectū
differunt.

Cum autem sit distinctum quot modis ipsum prius dicatur, patet actum potentia esse priorem, atque non solum ea potentia definita, quæ principium mutandi in alio ut est aliud dicitur, sed omnino omni principio motionis atque quietis. Etenim natura in eodem est genere in quo est & potentia ipsa. Est enim principium mouendi, at non in alio, sed in ipso, ut ipsum est. Omnem igitur talem potentiam ipse actus ratione atque substantia antecedit, tempore vero partim est prior, partim non prior. Atque ratione quidem esse priorem patet. ex eo namque possibile est id quod primo potest, quia agere potest. Aedificatiuum enim id est quod ædificare potest, & visiuum id quod videre, & visibile id quod videri potest. Eadem est & in cæteris ratio. Quare rationem antecedere, cognitionemve cognitionem, necesse est.

13 Cum autem definitum sit quot modis prius dicatur.) Propositum ei est actum potentia priorem esse demonstrare tum ratione, id est cognitione, tum etiam tempore atque natura: & ait, quoniam supra constitutum est, in libro scilicet quarto huius operis, quot modis prius dicatur, dubitari non debet, quin actus quam potentia prior existat, non solum ea quæ paulo ante definita est, cum potentiam esse diceret principium commutandi in alio ut aliud est, sed omnino quæ omnis potentia mouendi vel consistendi. Vocat autem naturam principium mouendi & consistendi, quoniam in physica naturam principium esse definiuit motus & quietis eius in quo est primum & per se, non per accidens. Sed cum naturam principium mouendi vocasset, priusquam facultatem principium esse mouendi dixisset, adiecit (Etenim natura in eodem genere est in quo est & potentia ipsa) quasi diceret, actus quam natura prior est. sed quia potentia & natura in eodem genere sunt, & genus est principium mouens potentia atque naturæ, loco naturæ dixit principium mouens. Natura vero hoc differt a potentia, quod potentia in alio existens ut aliud est, in illo inest: natura vero in quo est, non ut est aliud, in eo existit, sed ut ipsum & per se. Natura enim Dionis quatenus is talis est, in ipso inest, atque per se. Omni ergo potentia, inquit, tum ea quæ supra definita est, tum etiam natura, potentiam appellans naturam, propterea quod est in genere potentia, ut diximus: actus prior est ratione atque natura, tempore vero modo quodam prior, alias vero posterior. & protinus ratione priorem esse, in hunc modum confirmat. Primum, inquit, possibile, id est proxima potentia, siue materia proxima, possibilis siue potens dicitur, quoniam efficere potest. Aes enim statuam fieri posse dicimus, propterea quod actu effici statua potest. Pari ratione ædicator dicitur, qui potest ædificare, & in hoc efficere: & facultatem habere videndi, quod videndo efficere potest. & similiter cætera. Si ergo potentia per actum cognoscitur, necesse est ut ratio cognitioque actus, potentia rationem, cognitionemque præcedat. Id enim per quod res addiscitur, prius est, quam res ipsa quæ addiscitur: ut causa prior est effectui. quod hinc quoque intelligi potest, quoniam id posse dicimus, quod agere potest: & per actum potentiam declarare nitimur: ut dubium non sit, quin actum ut notio rem prioremque potentia ad potentia cognitionem assumamus, cum omnis doctrina omnisque disciplina intellectualis ex cognitione antecedente fiat: ut in posterioribus resolutorijs docuit.

Naturæ a
potentia
discrimen.

Tempore autem in eisdem quidem specie prior est. antecedit enim id tempore, quod idem efficit specie, in eodem vero numero sequitur. Dico autem hoc pacto, homine qui quidem actu iam est, & tritico, ac vidente: materies, & semen, ipsumque visiuum tempore prius est. Quæ sane potentia quidem sunt homo, triticum, atque videns, sed nondum actu. At his alia tempore sunt priora, quæ actu sunt, a quibus hæc ipsa sunt orta. Semper enim ab eo quod iam est actu, ex eo quod est potentia, ens actu fieri solet, ut homo ab homine, musicus a musico, semper mouente aliquo primo. Id vero quod mouet, actu iam est. In sermonibus autem de substantia diximus, omne quod fit, ex aliquo atque ab aliquo fieri, idque specie idem esse. Quapropter & impossibile esse videtur, ædicatorum esse quenquam, si non antea quicquam ædificauerit, aut citharædum etiam, nisi antea pulsauerit citharam. Qui nanque pulsare discit, pulsando discit pulsare, & cæteri simili modo. Vnde & redargutio illa sophistica emergebat, qua quempiam non habentem scientiam, id cuius est scientia, facturum inferebatur. Qui nanque discit, non habet, sed quia eius quod fit, aliquid factum est, & eius quod omnino mouetur, aliquid motum est (quod quidem in libris de motu patuit demonstratum) ideo discitem etiam fortasse necesse est scientia quid habere. Verum & hinc actum, hoc quoque pacto potentia priorem esse generatione atque tempore patet.

14 Tempore autem prior hoc modo, quod specie idem efficit, prius est.) Postquam actum priorem esse ratione quam potentiam docuit, ostendit tempore modo quodam actum quam potentiam priorem esse

Quod spe-
cie idē effi-
cit, pri⁹ esse

Act⁹ prior
potentia.

rem esse, alio vero non. Ad cuius demonstrationem pronunciatum quoddam siue assumptum oppi-
do q̄ manifestum assumit, quod scilicet specie idem efficit, prius esse. Sophroniscus enim qui Socra-
tem fecit, qui specie idem est atque Sophroniscus, non autem numero, prior est quàm Socrates.
Nam Sophroniscus & Socrates specie ijdem sunt, non autem numero. quod autem effectum fuit,
quod vnum est & idem numero, posterius est. Quod igitur idem efficit specie, vt diximus, prius
est. quin etiam granum tritici, quod in terram coniectum alterum granū procreauit specie idem at-
q; efficiens, prius est quàm quod est procreatum. cui similis est cæterorū ratio. Quo præsumpto ait,
si ad id quod procreatum est atq; effectum spectes, semen & materia, ac omnino potentia (nam ma-
teriam vocat potentiam) prior est q̄ forma atque actus, quandoquidem semen genitale & menses
muliebres, quæ potentia Socrates erant, nondum vero actu, priora sunt tempore quàm Socrates. &
materia huius grani tritici, quod potentia erat hoc granum, prior est tempore, quàm ipsum. Ergo si
ad materiam, vt diximus, atq; potentiam spectes, potentiam reperies priorem esse actu. Sed quoniã
semen ex homine, qui actu erat, est effectum, & videndi facultatem habens ex vidente, & similiter
cætera, idcirco actus prior est tempore, q̄ potentia. at his, inquit, id est materijs ac potentijs alia quæ
actu existunt, tempore sunt priora: ex quibus actibus potentia sunt effectæ. Nam licet semper ex se-
mine & mensibus, quæ potentia sunt homo, fiat homo actu, contra tamen semen & menses ex ho-
minibus actu fiunt. Siquidem homo ex homine actu, & musicus ex musico fit: & semper quæ fiunt,
ex aliquo primo mouente fiunt. In sexto autem libro (illic enim de substantia disputauit) dictum est,
omne quod fit, ex aliquo fieri aliquid. & hoc quod fit naturaliter, nō artificiose, specie idem esse, at-
que mouens. vt intelligatur actus prior esse quàm potentia. quod si omne quod fit, efficitur aliquid,
& ab aliquo primo mouente, fieri non potest vt sit quispiam ædificator, qui nihil ædificauerit, aut
citharædus qui cithara nō personuerit. Nam qui cithara canere discit, is cithara canendo, cithara ca-
nere discit. Ex hoc igitur quod omne quod fit, ex aliquo primo mouente ac existere actu fit, sophisti-
cis captionibus data est occasio. Interrogabant enim sophistæ, atq; adeo nunc interrogant, nunquid
non habens scientiam, alicuius scientiam efficiet. & prius scientiam accipiūt, vt habitus intelligitur
qui est in anima. posterius vero cum dicitur (scientiam efficiet) pro scibili quod per scientiam disci-
tur. quo in loco artes appellat scientiarum nomine. Cum sic igitur interrogātibus ab aduersarijs re-
sponsum esset, non efficiet. qui enim arte caret statuam conficiendi, is profecto statuam nunquam
conficiet. sic igitur percontati, taliq; accepta responsione, sophistæ inferebant, qui cithara canere di-
scit, is non habens scientiam cithara canendi, cithara canit. nam si haberet, non addisceret. ergo non
habens cuiuspiam rei scientiam, efficiet & non efficiet quod est scientiæ. quod quidem est absurdū.
Et soluit sophisma, dicens. (Sed quia eius quod fit, aliquid factum esse: & eius omnino quod moue-
tur, aliquid motum esse:) & subaudiendum est demonstrauius, vt sit plena oratio huiusmodi, sed
quia nos demonstrauius eius quod fit, aliquid factum esse, & eius omnino quod mouetur, aliquid
motum esse. sophisma dissoluitur. In vltimis enim libris de physico auditu, nam illos vocat de mo-
tu, ostendit omne quod mouetur, prius esse motum: & omne quod motum fuit, prius fuisse motū.
quod si ita est, qui cithara canere discens, canit, is prius cecinit. Cecinisse autem, quicuisse est in ali-
qua parte cantus. Itaque habens aliquid scientiæ prius, licet non totam, cithara canit, & omnino id
quod efficit, habet, licet non absolutū & perfectum sit. non igitur quod, non habet efficit, sed quod
habet. Ex his ergo, ait, intelligitur manifesto actum priorem esse, quàm potentiam generatione
& tempore, propterea quod ante ipsum fieri præcedit factum esse, quod quidem finis est alicuius
generationis.

At vero substantia quoque est prior, primo quidem ex eo, quia quæ posteriora sunt
generatione, forma atq; substantia sunt priora, vt vir puero, & homo semine. Alterum
enim iam habet formam, alterum nō habet. Deinde ex eo, quia omne quod fit, ad prin-
cipium proficiscitur atq; finem. Id enim gratia cuius cætera fiunt, principium esse con-
stat. At generatio, finis ipsius est gratia, & ipse actus est finis, & huius gratia potentia
sane sumitur. Non enim animalia vident, vt habeant visum: sed vt videant, visum ha-
bent. Similiter & vt ædificent ac contemplantur, ædificandi contemplantique faculta-
tem homines habent. Sed non contemplantur vt habeant facultatem, nisi qui meditan-
tur. Atque hi non contemplantur, sed aut hoc pacto, aut talis non indigent contempla-
tionis. Præterea materies est potentia, propterea quod ad formam accedere potest.
Cum est autem actu, tunc est in forma. Simile est in cæteris, & quorum finis est mo-
tio. Quapropter vt ii qui docent, cum discipulum operantem ostenderint, finem iam
reddidisse arbitrantur, (alioqui ille Mercurius erit. Passonis. Erit enim incertum, si sci-
entia intus, an extra sit) perinde vt ille, sic & ipsa natura facit. Nam ipsum opus est fi-
nis, ipsa autem operatio est ipsum opus. idcirco & nomen ipsum operatio ab opere di-
citur, atq; ad actum tendit.

15 At vero substantia quoque est prior. Primo quidem ex eo, quia quae posteriora sunt generatione, forma atque substantia sunt priora. Natura quoque & sine actum quam potentiam priorem esse demonstrat. quod quidem categorice ostendit in prima figura, ad hunc modum. Actus quam potentia generatione posterior est. quae generatione posteriora sunt, natura & sine sunt priora. actus igitur forma atque substantia & sine prior est quam potentia. Esse autem natura priora, quae posteriora sunt generatione, perspicuum est. Ut enim architectus prius domum in seipso format, & tunc fundamenta iacit, deinde parietes ac tectum aedificat, sic natura ad virum exempli gratia quasi ad signum spectans, quippe cum gratia cuiuspiam efficiat, ut in tertio libro de phyllico auditu demonstratum est, primum semen genitale ac menses muliebres efficit, deinde cor, tunc iecur, post hoc carnes, nervos & ossa, deinde infantem, tum puerum, post adolescentem, deinde virum. Ita quae posteriora sunt generatione, natura sunt priora. natura vero posteriora, ut semē & menses, nobis priora sunt. Ergo vir quam puer prior est natura, puer quam semen. At puer iam formam habet atque actum, semen non habet, sed habere potest. Quod ipsum aliter ostendit, dicens, Cuius gratia cuncta fiunt, id finis est, & in ipsum tanquam in principium & prius quae fiunt contendunt. fiunt autem actus gratia cuncta, actus igitur finis est, & prior quam potentia. nam potentia & generatio propter actum est. Haud dubie igitur & forma & perfectione prior est quam potentia. Esse autem potentiam actus gratia, ac proinde actum priorem potentia (nam id cuius gratia, ut perfectum, prius est, quam quod est ipsius gratia) perspicuum est. animalia enim visum habent, id est videndi potentiam, videndi, agendique gratia: non autem vident & agunt, ut visum siue potentiam videndi habeant. Pari ratione facultatem hoc est artem aedificandi habent, ut aedificent: non autem aedificant, & actum habent, ut habeant artem aedificandi. & contemplatricem facultatem, ut contemplentur: non ediuerso contemplantur, ut contemplandi obtineant facultatem. Sed quoniam qui meditantur, agunt ut possint contemplari, idcirco dicat fortasse aliquis hunc meditandi actum esse gratia potentiae considerandi, ac proinde falsum esse dictum potentias actuum gratia consistere, sed hos potius esse propter potentias. quod si ita sit, potentiam priorem esse quam actum. Nam id cuius gratia, prius est, quam quod est gratia alius cuius. Haec igitur quae dictis objici poterant, soluens, Meditantes, inquit, non contemplantur. Nam si contemplarentur, contemplari dici possent, ut potentiam haberent contemplandi. nunc autem cum non contemplentur, ne licet quidem hoc dicere. Hanc igitur oppositionem cum soluisset per instantiam, eandem per affirmationem soluit, dicens. (Sed aut hoc pacto) id est, meditatores vel quodammodo contemplantur, vel non indigent contemplari. quasi dicat, vel non indigent contemplatione meditationis. Sed haec meditantium contemplatio, cum imperfecta sit, & prope nihil, perfectissime atque potissimae contemplationis gratia efficitur. Praeterea materia potentia est, atque dicitur, quoniam ad formam peruenire potest. cum autem peruenit, & actus est, in forma consistit, ut hac quoque ratione actus quam potentia prior esse dicatur, tanquam res appetenda, & ordinatrix, & in ornamentum perducens. Similiter, inquit, sese res habet in ceteris quorum finis est motio. Artis enim saltandi finis nihil aliud est quam ita moueri. in his igitur actus prior est potentia. Quare ut praecipue tunc discipulum ad finem doctrinae venisse putant, ac finem reddidisse, cum ipsum per doctrinam agere ostenderit, (nam si actus est opus, opus autem finis, actus nimirum finis est. quare cum operatur, tunc ipsum finem habere putant. hic enim est ordo dictionis) sic natura tunc quod fit, nactum esse finem arbitratur, cum ad actum peruenit. Nam illud (alioquin ille Mercurius erit Pafonis) cum illo coheret (quapropter ut ij qui docent, cum discipulum operantem ostenderint) est autem sensus, alioquin, id est, nisi praecipue discipulum operantem ostentauerint, sed dixerint a se fuisse doctum, licet non operetur, dubium est habeat necne habeat scientiam. Nam cum ex operibus artificem quemque atque scientem iudicemus, si non operatur, quomodo habeat an non habeat doctrinam, intelligi potest? Erit enim incertum num intus scientiam habeat, an extra: id est, habeat, necne: ut Pafonis Mercurius intra an extra lapidem sit, ignoratur. Pafonis autem historia, si cui nouisse placet, huiusmodi est. Pafon statuarius in lapide quodam Mercurij formam expressit, & in lapide Mercurius videbatur, sed intra lapidem ne, an extra esset, incertum erat. Extra esse dici non poterat, quoniam si esset extra, ut lapis esset sculptus oportebat, & inaequalitates haberet. at ille totus erat laeuis more speculorum. Ob hoc igitur extra esse dici non poterat. Sed neque intra. nam si lapis in quo Mercurius erat, iuncturas aliquas vel commissuras haberet, in promptu erat dicere, in altero lapide Mercurium expressum extra, deinde impositis leuissimis lapidibus inclusum fuisse, sed videri per transparentes ac pellucidos lapides eosdemque leues impositos: ut si quis formam quampiam ex cera effingat, eique vitrum aliudve pellucidum corpus extrinsecus imponat, forma cerea intus videbitur. si hoc igitur esset, haec non immerito dici possent. at cum lapis vndique continuus esset atque vnus, & nullam haberet commissuram, hoc dicere non licebat. Itaque incertum erat Mercurij extra esset, an intra lapidem: extra, propter lapidis aequalitatem: intra, quoniam intelligi non poterat quomodo intra lapidem continuum Mercurius esset effectus.

Natura & sine actus potentia prior.

Pafon statuarius.

Quamquam autem in quibusdam vltimum est ipse usus, ut videndi potentiae visio, ubi nihil aliud a visu fit opus: in quibusdam fit aliquid praeter usum, ut ab extruendarum aedium facultate praeter aedificationem fit domus: in vtrisque tamen actus erit potentiae finis, etsi magis in illis finis esse videtur. Etenim aedificatio in eo est quod aedificatur &

fit, atque est vna cum ædibus ipsis. In quibus igitur aliud quippiam est quod fit præter vsum, eorum actus in eo quod efficitur inest, qualis est ædificatio atque actus texendi. illa enim in eo quod ædificatur, hic in eo quod textitur, inest. Et in cæteris idētidē quæ talem subeunt rationem. Atq; omnino motus ipse in eo est quod mouetur.

Visus, potētia est & actus.

Finis & vltimum, in quibusdam vsum solus est.

Quantū in quibusdam vltimum est ipse vsum, vt visus ipsa visio.) Antequam ad dictorū expositionem accedamus, aliqua sunt nobis commemoranda, ex quibus intelligentia illorum aperiatur. Intellegendum est enim vsum per quem cernimus, & potentiam esse, & actum. potentiam, si ad visionē spectes. Est enim visus facultas qua videre possumus, visio vero est actus. Respectu igitur visionis potentia est. sin autem ad eum spectes, qui vsum non habet, accipere tamen potest, actus est, & habitus. Cum enim qui visu caret, obtinere tamen potest, is vsum habere posse dicatur: cum vero habet, non dicitur habere posse, dubium non est, quin visus sit actus. Ars quoq; ædificandi & potentia est & actus. potentia respectu ædificationis, actus ratione priuationis quam ædificator habebat antequam haberet artem ædificandi. nam ex facultate ædificatore, ædificator actu fuit effectus. Neque vero id solum de habitibus dicitur, sed etiam de ijs qui habitus habēt. Geometra enim non operans respectu operantis, facultate geometra est, actu vero comparatus puero qui geometra fieri potest. Sed de his ego in libro de anima latissime differui, quæ nunc dictorum explicandorū gratia breuius sunt commemorata. Aristoteles igitur hoc per verba proposita dicit. Cum in quibusdam vltimum & finis sit vsum, vsum appellans actum, & præter actum nihil efficiatur aliud (visus enim vsum atque actus est ipsum videre) neq; aliud efficiatur præter visionem, quemadmodum in saltandi arte nihil efficiatur præter saltationem. In quibusdam vero fiat. Artis enim ædificandi vsum & actus est ædificatio, sed aliud quiddam efficitur præter ædificationem, domus videlicet. Cum hæc igitur, inquit, ita sint, tamen in his nihilo secius est aliquis finis, in quibus præter actum nihil est. Immo vt finis est eorum, quorum quidquam est præter actionem, sic & eorum quorum nihil est præter vsum. Est igitur inquit, & hic finis, id est in arte ædificandi: sed & hic, id est in visu magis finis quam potentia, potentiam appellans vidēdi facultatem, ipsum dico vsum: finem vero & actum visionem. quod quale sit, statim explicauimus. Itaq; illud (hic autem finis magis quam potētia) perinde est ac si diceret, visus est ille quidem finis, tamen visio magis est finis quam potētia, id est q̄ visus. Quomodo autem visio magis quam visus finis existat, ex similitudine docet artis ædificandi, dicens. (Etenim ædificatio in eo est, quod ædificatur & fit, atq; est vna cum ædibus ipsis) quasi dicat, Vt ædificatio sese habet ad artē ædificandi, sic visio ad vsum. ædificatio autem finis est magis quam ars ædificandi, ergo visio q̄ visus. Assumptionis vero huius, ædificatio autem finis est magis q̄ ars ædificandi, confirmatio est illud (etenim ædificatio in eo est quod ædificatur & fit, atq; est vna cum ædibus ipsis.) Nam cum domus ædificationis opus sit, atq; ædificatio fiat & fit simul cum domus efficitur, nisi enim domus fiat, ne ædificatio quidem efficitur, neq; domus, nisi ædificatio, cumq; opus facultatibus præstantius habeatur, propter opus enim facultatem habemus, simul autem cum opere sit actus, potentia vero vt ars ædificandi tunc etiam sit cum nulla domus efficitur, dubium esse non debet, quin actus q̄ potentia prior sit, & magis finis, ac proinde visio q̄ visus. nam visio ad vsum, quemadmodum paulo ante diximus, sic se habet, vt ædificatio ad artem ædificandi.

In quibus autem præter actum non est aliud quicquam opus, in ijs ipsis est ipse actus. nam visio in eo est sane quod videt, & contemplatio in eo quod contemplatur, & vita in anima. Quapropter & fœlicitas ipsa, quippe cum sit vita quædã. Quare substantiam ipsam ac formam actum esse patet. Et hac igitur ratione dilucidum euasit, actum substantia potentia ipsa priorem esse. Et, vti diximus, tempore semper alium actū alius antecedit, vsq; ad primi semper mouentis actum.

Actus qua in re consistat.

In quibus autem præter actum non est aliud quidquam opus, in ijs ipsis est ipse actus.) Postquã quorum præter vsum nullus est finis, in ijs quoq; actus potius q̄ potentias fines ac præstantiores esse docuit, nunc exponit quorum actus in efficienda re, quorū in efficiēte consistant. Sic ergo ait, quoniam ædificatio & textio simul est cum re quæ ædificatur & quæ textitur, haud dubie ædificatio & textio in ipsis existit. Nam si ædificatio esset in ædificante, non in eo quod ædificatur, nimirum ædificatio etiam tunc esset, cum nihil ædificaretur, quod fieri non potest. ædificatio igitur in re inest quæ ædificatur, & textio in ea quæ textitur. quare cum id quod ædificatur, præstet arti ædificandi, satis intelligitur ædificationem arte ædificandi, visionem visu potiore esse. Quorum igitur præter vsum aliquid est, horum actus in eo quod fit, consistit. quorum autem non est quidquã aliud præterea, horū actus est in ipsis efficientibus. Nam visio in vidente inest, non in re quæ videt. Item vita in anima. vita enim actio animæ est, vt visio ipsius visus. ex quo intelligitur, fœlicitas cum vita quædã esse intelligatur, in anima inesse: prorsus vt ex dictis dubitari nequeat, quin substantia formaque actus existat. si enim tunc fœlicem fœliciter agere dicimus, cum formam fœlicitatis, hoc est ipsam fœlicitatē accepit, & menses muliebres hominis munus agere, siue obire, cum formam hominis acceperunt,

quid attinet aliud diuinare nisi formam esse actum? & concludit totum sermonem, dicens. Ex hac igitur ratione palam fit, actum substantia priorem esse quā potētiam: & ut dictum est, semper tempore actum actus alter antecedit, ut ante Socratem, qui actus est, Sophroniscus actus fuit: & sic semper usque ad primi mouentis actum, quoniam illum actum nullus actus antecedit, sed ipse primus omnium est, & causa existendi.

At vero magis etiam proprie prior ipse actus potētia esse videbitur. Res enim perpetuæ priores sunt eis substantia, quæ oriuntur & occidunt: est autem res perpetua potentia nulla. Ratio cuius hæc esse videtur. Omnis potentia nimirum simul est contradictionis. Quod enim esse nequit, id nulli competet vnquam. Fieri autem potest, ut possibile omne non operetur. fieri ergo potest, ut id & sit & non sit, quod est possibile esse. at ut id non sit quod possibile est non esse, fieri sane potest. Quod autem fieri potest ut nō sit, id corruptibile est, aut simpliciter, aut hoc ipso quo fieri posse dicitur ut non sit, aut loco, aut quantitate, aut qualitate: absolute vero substantiæ ratione. Nihil enim eorum quæ simpliciter corruptionē non subeunt, potētia est absolute. Ut aliqua vero ex parte sit, nihil obstat videtur, veluti quale, vel vbi. Actū ergo sunt vniuersa: Neque eorū quæ necessario sunt. at hæc sunt prima. Si enim hæc non essent, nihil esset profecto. Neque igitur motus is est potentia, qui sempiternus est. Neque si quid perpetuo mouetur, potentia motu ciatur, nisi ea ratione qua ex hoc in hunc terminum proficiscitur. huiusce vero nihil prohibet materiam esse. Quocirca Sol atque astra semper operantur, atque mouentur, totumque cælum. Atque non est pertimescendum ne tandem stent, mouerique desinant: quod quidam naturales philosophi pertimescunt. Neque id agentia, defatigantur. Motus enim ipsis non uti rebus caducis atque mortalibus circa contradictionis potentiā cōpetit, ut laboriosa sit ipsa continuatio motus. Huius enim causa substantia est ea quæ materies est atque potentia, & non actū.

18 At vero magis etiam proprie. res enim sempiternæ mortalibus substantia priores sunt.) Demonstrato actum priorem esse quā potentiam ratione, tempore, & causa, nunc docet non simpliciter sic esse priorem, sed magis proprio siue nobiliore modo: procedit autem confirmatio per quendam locum in Topicis traditum, qui ait, quæ potioribus præstantioribusque insunt, ea potiora sunt, & præstantiora. quod si verum est, actus autem in sempiternis inest, facultas in non sempiternis, & sempiterna præstantiora sunt & potiora: profecto actus qui in sempiternis existit, potior est facultate, quæ in non sempiternis inest. sempiterna igitur, inquit, mortalibus substantia priora sunt. Sempiternorum autem nihil est facultate, sed actus sunt, ut dictum est in libro de enunciatione. quare si sempiterna sunt actus, potior est actus qui habetur in potioribus, quā potentia. Præfatus autem potentiam non esse in sempiternis, idem confirmat, dicens. Ratio & causa cur facultas non sit in sempiternis, sed omnia sempiterna sint actus, hæc est, omnis potentia est contradictionis. qui quidem omnium est cōsensus. nam qui recte valendi potentiam habet, idem & non recte valendi. cui similis est in ceteris ratio. Si ergo omnis potentia est contradictionis, & quod esse nequit, nulli potest adesse, omne autem possibile contingit non agere: nec enim qui recte valere potest, is semper recte valet: haud dubie continget esse & non esse. quod autem non esse contingit, idem & esse & non esse potest. porro quod esse & non esse potest, id mortale est vel simpliciter, ut aqua, & natua omnia. occidit enim aqua cum efficitur aer, & hic cum transit in aquam. vel non est simpliciter mortale, sed quod esse dicitur, idem non esse potest secundum locum, quantumve, aut quale. Sol enim simpliciter non est mortalis, tamen cum est in Capricorno, esse potest in Ariete: & hac ratione est non ens, atque mortalis, sed non simpliciter, ut diximus, sed quatenus cum possit esse, non est in Ariete. Item plāta cubitalis, quæ sex cubitorum esse potest, mortalis dicitur, at ne hoc quidem simpliciter, sed quoniam quod esse potest, id non est. quod enim esse potest, sed nōdum est: id quodammodo deletum esse dicimus. quod album esse potest cum non sit, id non simpliciter est mortale, sed quali. Id autem simpliciter est mortale, quod substantia deletū esse potest. quare si possibilis partim dicuntur quod simpliciter interire possunt, alia quod quodammodo, profecto sempiternorū & simpliciter immortalium nihil simpliciter est potentia, prorsus ut natura & substantia eius interire valeat. Ac supermundana quidem cuncta neque simpliciter potentia sunt, neque secundum quid. circūlata vero & diuina corpora nihil obstat quo minus secundum quid sint possibilis, exempli gratia, secundum quale, vel secundum locum. secundum quale, quoniam Luna semiplena lumine plena effici potest. secundum locum, quia Sol cum Geminos tenet, in Tau rum trāsire potest. Simpliciter igitur immortalia haud dubie actū sunt, non potētia. ergo neque simpliciter sempiternorum, nec eorum quæ sunt necessario, vllum est potentia. si enim quæ esse possunt, ea & esse & non esse contingit, necessaria vero semper se eodem modo habent, utique necessariorum nullum erit potentia. Quod vero ait, (At hæc sunt prima) hæc appellans sempiterna, huiusmodi est.

Aqua occidit, cū efficitur aer.

Mortale simpliciter quid dicat.

Immortalia actū sunt, non potentia.

At hæc prima esse dictum est, supra enim est dictum. Nam cum dixisset in primis & immortalibus non esse potentia locum, idq; demonstrasset, suggestit. at hæc prima sunt. quasi diceret, quæ cum prima sunt, in ijs non est potentia, sempiterna autem prima sunt, in ipsis ergo non est potentia. Porro sempiterna prima esse, causam subiecit, dicens, (Si enim hæc non essent, nihil esset profecto.) quoniam nisi essent sempiterna, nihil eorum esset, quæ sempiterna non sunt. Neq; vero solum in sempiternis substantijs non est potentia, sed ne in motu quidem si quis est sempiternus, neq; si quid motu sempiterno ciatur, id potentiam ut non sit habet, sed potentiam ut hinc illuc moueatur dūtaxat. Sol enim ut diximus dudum, ex Ariete in Taurum transit, & cum sempiternus sit, non tamen prohibetur potentiam huius habere, ut de loco inquam in locum moueatur. At quoniam potentiam simpliciter nō habet, sed tantum de loco ad locum, idcirco Sol semper agit, atq; Luna: nec timor est, ut Empedocli eiusq; sequacibus videbatur, ne quando consistat. Neq; enim Sol aut cœlum mouēdo fatigatur, cum ipsorum motus non sit in potentia contradictionis. Neq; enim cum moueri possint, possunt etiam non moueri, ut res mortales, quarū motus est laboriosus, cum cœli Solisq; motus irrequietus omnis laboris sit expers. (huius enim causa substantia est ea quæ materies est atq; potentia) id est, materialis substantia siue materia causa est huius, id est ut laboretur, & potentia contradictionis habeatur. Circumlata vero atque diuina corpora non habent materiam, quæ contraria possit. quare ne laborant quidem mouendo.

Rerum autem ex quæ corruptionem mutationemve subeunt, ut terra, ut ignis, res ipsas perpetuas imitantur: etenim semper operantur. per se enim motum & in seipsis habent. cæteræ vero potentia de quibus est definitum, contradictionis sunt vniuersæ. Quod enim hoc pacto mouere potest, potest & nō hoc pacto mouere. Dico autem eas omnes quæ sunt participes rationis. Expertes vero rationis præsentia nimirum absentiaque potentia contradictionis eadem erunt. Quod si naturæ quædam substantiaque sunt tales, quales ii qui circa doctrinas versati sunt, ipsas ideas inquirunt esse: longe magis quippiam sciens, quàm ipsa scientia, & quippiam itidem quod moueatur, quam motus erit. Hæc enim magis actus, illa potentia sunt istorum. Actum igitur potentia principioq; omni mutandi priorem esse, ex his quæ dicta sunt, perspicuum iam euasit.

Mortalia, sempiternorum æmula.

Rerum autem quæ corruptionem mutationemve subeunt, ut terra, ut ignis.) Exposito in sempiternis non esse simpliciter dictæ potentia locus, sed loci, ait, quanquam in rebus mortalibus insit potentia, ipsa tamen quæ in mutatione versantur, immortalium æmula sunt. qualia vero sint mortalia quæ sempiterna imitantur, exponit, ut terra & ignis. item quomodo imitentur, explicat. ut enim circumlata corpora in motu & opere sunt, ita hæc semper mouentur, & per se motum quandam semper habent: quoniam ignis cum lunari sphaera siue vniuersi latatione conuoluitur, terra vero rarefcit aut defatur, vel omnino patitur, ut appareat ipsa per hunc continentem motum sempiternorum æmula esse. Neq; solum per continetem motum mortalia sunt sempiternorum æmula, sed etiam per immortalitatem. Si quidem vniuersitates corporum sub luna contentorum ignis, aeris, aquæ, terræ, immortales sunt. sed corpora cœlestia, ut diximus, non habent contradictionis potentiam, cæteræ vero potentia ex quibus, id est de quibus est disputatum, contradictionis sunt. Nam medicina potentiam habet & valetudinem & morbum afferendi, & similiter cæteræ facultates rationis comites: quæ hoc differunt ab expertibus rationis, quod in his non necessario simul atque adsunt quod efficere potest & quod pati, alterum efficit, alterū patitur. expertes vero rationis simul atq; adsunt, efficere possunt: ac si non adsunt, non efficere. quod enim vim habet calefaciendi, simul ac rei calori opportunæ admouetur, alterum calefacit, altera calore afficitur. Sed quoniam Plato hominum, equorum, & scientiarum ideas esse tradebat. nam ipsi scientiam, ut ipsi hominem dicebat, hominum autem scientiam, & aliorum hominum ad summam, & eorum quæ sunt ex accidētī, ideas esse negabat, hanc opinionem ex ijs quæ dicta sunt, nititur refellere, & ait, quod si naturæ quædam substantiaq; sunt, quales ij qui in rationibus, id est, in mathesibus sunt versati, nimirum aliquod animal longe magis esset sciens, quàm ipsi scientia. (Hæc enim.) id est, quod mouetur, & sciens, substantia sunt & actus (illa) scientia & motus, facultates sunt scientis, & eius quod mouetur, quæ per se consistere nequeunt.

At præstabiliorem etiam potentia studiosa honorabilioremque esse, ex his patere potest. Vnumquodq; enim eorum quæ posse dicuntur, idem contraria potest, ceu idem est quod dicitur sanum esse posse, & ægrotare, ac simul. Est enim eadem potentia sanitatem morbumq; suscipiendi, & quiescendi, subeundique motum, & eadem facultas extruendi, destruendiq; domum, & eadem item potentia, qua extrui domus atque destrui potest. Posse igitur contraria, simul est, uti patet. At ut contraria simul sint, minime fieri potest, ceu sanum esse, ac ægrotare. Quare alterum horum sit bonum necesse est. At posse æque est ad vtrunq; vel ad neutrum sane accommodatur. Actus ergo potentia præ-

stabilior esse videtur. In malis autem finem actumve potentia deteriore esse necesse est. idem enim quod ambo contraria potest.

2 At præstabiliorem etiam atque honorabiliorem esse ex his patere potest. Postquam actum quam potentiam priorem esse docuit, & conclusit dicens, palam est igitur actum priorem esse facultate & omni principio commutandi, hoc est omni potentia atque natura: hoc demonstrato, rursus ostendit actum non modo non studiosa potentia priorem esse, sed etiam studiosa. Esse autem potentias quasdam studiosas, alias non studiosas, nemini dubium est. Nam quarum potentiarum actus studiosi sunt, ex potentia quibus actus huiusmodi obiri possunt, studiosæ sunt. Sed tamen (vnumquodque, inquit, eorum quæ posse dicuntur, idem contraria potest. nam qui recte valere potest, idem simul ægrotare) neque hoc dicit, eundem simul ægrotare, ac recte valere, sed simul habere potentiam ægrotandi, ac recte valendi. eadem est enim potentia recte valendi & ægrotandi, quiescendi, & mouendi. Ac ut dictum est, contrariorum facultas simul inest: ipsa vero contraria, hoc est actus contrarios simul esse est impossibile. fieri enim non potest, ut simul quis valeat, & ægrotet. quare, inquit, contrariorum alterum bonum sit necesse est. Exempli gratia, calidum bonum, frigidum malum. Valetudo bonum, morbus malum. Ad summam, quæ formam & habitum æmulantur, bona sunt: quæ priuationem, negationemque, mala. Cum ergo dixisset necesse esse contrariorum alterum esse bonum, subiicit. (At posse similiter vtrunque, vel neutrum. actus ergo quam potentia præstabiliior est.) quæ verba, ut puto, pertinent ad confirmandum actum potentia etiam studiosæ præferri. Sed verba perobscura sunt, & quæ Apolline indigeant interprete. Est autem illius orationis, (at posse similiter vtrunque vel neutrum) sensus huiusmodi, quod potentiam habet, exempli causa recte valendi, hoc perinde habet etiam ægrotandi, alioquin neutrius. cur enim si recte valendi potentiam habet, non ex æquo habeat ægrotandi? Cæterum sic ostenso amborum potentiam similiter haberi, quomodo hinc actum etiam studiosæ potentia præstare colligatur, obscurissimum est. tamē nisi fallor, in hunc modum colligitur. Locus quidam ab ipso in Topicis est traditus, qui ait. Quod peioris est expertus, hoc melius ac præstantius est eo quod est cum peiore commistum. quod si verum est, & studiosa potentia commista est cum potentia peioris. nam qui est facultate studiosa præditus, & per ipsam agit, ac studiosis actibus fungitur, hic non amisit, sed retinet etiam nunc facultatem peioris, ex quo studiosæ potentia admista esse peioris facultas intelligitur. actus autem melioris non consistit cum peioris actu, sed purus est & immixtus. præstat igitur studiosæ potentia, propterea quod immista, ut locus testatur, mixtis potiora sunt. Contra vero in malis actus mali peior est, quam potentia: quoniam potentia mali commista est cum boni potentia. actus vero mali nullam boni actus mixtionem habet.

Potentiarum
alia studiosa,
alia non
studiosa.

Mali actus
peior quam po-
tentia mali.

Patet ergo malum ipsum non esse quid præter res ipsas. Malum namque potentia posterior est natura. Nec in iis ergo quæ sunt perpetua, mali quicquam est, aut peccati, aut corrupti. Etenim mali rationem corruptio subit.



21 Patet ergo malum ipsum non esse præter res ipsas. Quoniam Plato sic aiebat, cum bonum natura quedam sit, quemadmodum homo vniuersalis qui de singulis hominibus prædicatur, diuersus est ab ipsis, sic ipsi bonum a singulis bonis est diuersum, ac de ipsis dicitur. contrariorum autem vno existente, alterum existit. est igitur malum quod de singulis malis prædicatur, diuersum ab ipsis. idcirco Aristoteles palam esse ait ex demonstratis (demonstratum est autem, malum peius esse quam potentiam) ex demonstratis ergo, inquit, intelligitur malum non esse a rebus diuersum. nam quæ actus sunt, eorum aliquid a singulis diuersum esse dicimus. malum autem tantum abest ut actus sit, ut peius etiam sit quam potentia. commune autem in actibus accipi certum est. nam hominem vniuersalem dicimus singulorum hominum, qui actus sunt, & vniuersalem equum, & in cæteris pari ratione. non autem dicimus vniuersalem non hominem vel non equum, quoniam non homo priuatio hominis est, equi non equus. Quod si malum priuatio boni est atque actus, & rebus subest ob materia inaptitudinem, hæc enim cum ad actum & bonum accipiendum spectet, cum id non fuerit nata, malum habet ac priuationem, nimirum præter res nihil erit malum. At si malum propter materia & potentiam ipsis rebus subest, & potentia peccatum est, in sempiternis autem potentia non esse demonstratur, sunt enim actus, in ipsis ergo nec malum est, nec peccatum, neque interitus. siquidem interitus de numero malorum est.

Malum in
sempiternis
non est,
nec peccatum.

Inueniuntur autem & ipsæ designationes Geometricæ actu. diuidentes enim inueniunt. Quod si essent diuisæ, essent utique manifestæ. nunc autem potentia insunt. Cur triangulus suos angulos duobus rectis æquales habet? Quia anguli qui sunt circa vnum punctum, sunt duobus rectis æquales. Quod si æqueditans a latere esset perducta, continuo pateret videti. Cur is angulus qui est in semicirculo, rectus est absolute? Quia tres sunt æquales, duæ in qua est basis diuisa, & ea quæ est erecta e medio super illam. Quæ si is viderit qui id antea sciuit, quod inde sequitur, illud sibi profecto continuo patebit. Quare patet ea quæ sunt potentia, inueniri, si redigantur ad actum. & causa est in promptu.

ipse enim actus est intellectio. quare ex actu potentia ipsa deducitur, & iccirco facientes cognoscunt. is enim actus qui eiusdem est numero, posterior est generatione.

Mathemata non esse actus, sed potentias.



Inueniuntur autem & ipsæ designationes Geometricæ actu, diuidentes enim inueniunt.) Refutat eorum sententiam, qui mathemata actus esse dicebant, atq; substantias. negans esse actus, sed potentias, potentias vero non esse substantias. Designationes igitur, inquit, Geometricæ diuidendo inueniuntur, id est, intellectus cum egit, ac partitionē fecit, ipsas inuenit, ipsiq; tribuit quiditatem, cum ante operationem potentia sint. Quod si essent diuisæ, id est, si essent actu, simul atq; angulum in semicirculo videres, ipsum esse rectum intelligeres. Nam vt domus cum est actu, simul atque videtur, cognoscitur esse domus, nec diuisio demonstratiove ad eius cognitionem desideratur, sic mathemata si actu essent, cum primū duo solida parallilepipeda, id est, æquidistantibus planis contenta cerneamus, notum nobis esset, bases altitudinibus esse reciprocas: ac vicissim vt se altitudo habet ad altitudinem, sic se basim ad basim habere. nunc autem non ita fit, sed diuidimus, & aimus sint recte lineæ basibus impositæ ad angulos rectos, sitq; recta linea altera alteri æqualis. & alia quædam diuidimus & dicimus. & in hunc modum paulatim diuidendo, ac demonstrationibus per partitiones conficiendis, designationū Geometricarum cognitio nobis contingit. Itaq; non sunt actu, sed potentia. quod si verū est, ne substantiæ quidem sunt. siquidem substantiæ etiam nullo in ipsas agente, nullo demonstrante sunt. hæc autem nisi intellectus in ipsa egerit, ac omnino inuenerit, ac eis esse tribuerit, non possunt esse. Ac totus quidem dictorum sensus huiusmodi est. cæterum quomodo quodq; dicatur, ac vt habeat dictio quæq;, dispiciendum est. (Cur, inquit, duo recti triangulus?) id est, cur trianguli tres anguli duobus rectis sunt æquales? interrogati, respondemus, quoniam anguli circumstantes vnum punctum, æquales duobus rectis sunt. sit igitur triangulus, a b c. si quis roget, cur tres anguli sunt pares duobus rectis, respondemus, quoniam duo qui circumstant vnum punctum, duobus rectis sunt æquales, quibus trianguli tres anguli pares sunt. si ergo ille præuiderit angulos, qui vnum punctum hoc est c, circumstant, duobus rectis æquales esse, ac lineam b c produxerimus ad d, hoc enim significat cum ait, (quod si æquidistans a latere esset producta) ac demonstraerimus angulos b a c, a c b, c b a, pares illis, a c b, a c d, hoc perspecto statim intelligit triaguli tres angulos duobus rectis esse pares. descriptiones igitur non sunt actu. si enim essent, statim perspiceretur videnti triangulum, tres angulos duobus rectis esse pares, vt domum conspicientibus statim domum esse notum efficitur. quod non fit nisi demonstratum fuerit circumstantes vnum punctum duobus rectis esse pares. Itē rogati cur angulus qui est in semicirculo, rectus est, ac in vniuersum cur rectus est: quasi dicat, vel sic rogari possumus, quare angulus qui est in semicirculo, rectus est: vel sic vniuersaliter, quare angulus rectus est. Interrogati ergo sic respondemus (si æquales tres, basim duæ, & recta quæ in medio consistit, videnti manifestum est) id est, qui præcognouit si tres rectæ lineæ, quæ superposita est, & duæ quæ a medio procedunt, æquales sint, ex hoc necessario probari rectum esse angulum qui est in semicirculo: huic si partitionem fecerimus, & lineas rectas esse ostenderimus, planum fiet angulum esse rectum. Sed quoniam exemplum tenebris est inuolutum, & instar ænigmati propter familiarē ipsi sermonis breuitatem, nos explicabimus, quomodo ab Euclide in tertio elementorū demonstratur rectum esse angulum qui est in semicirculo, vt inde locus hic fiat nobis illustrior. Sit circulus a b c, centrum vero e, dimetiēs b c, & producat lineam b a, & c a. tum lineam a e applicetur lineæ c b ad angulos rectos, & lineam b a producat ad z. cum igitur lineam e b sit æqualis e a, procedit enim a centro, triangulorum autem æquicrurium anguli ad basim pares sunt inter se, angulus igitur e a b par est angulo a b e. ppter hoc igitur angulus e c a angulo e a c. totus igitur b a c æqualis est angulis a b c, & b c a. Angulus autem z a c externus triagulo a b c, æqualis est duobus a b c & a c b. quæ autem eidem sunt æqualia, hæc inter se quoq; æqualia sunt. ergo b a c æqualis est z a c. quod si recta linea super rectam existens consequentes siue proximos angulos æquales fecerit, anguli recti sunt. rectus est igitur b a c & z a c, cum pares esse demonstrati sint. Ad hunc igitur modum illic demonstratur angulus in semicirculo rectus esse. Ipse autem dixit, si tres sunt æquales. & quæ nā sint exposuit, basim duæ, id est, b c trianguli a b c. diuiditur enim in duas æquales, e b, & e c, quoniam e centrum est: & quæ est erecta e medio recta, id est, atque si a e recta linea ex medio, hoc est in medio siue in centro institerit ad angulos rectos, (videnti palam est, ei qui illud sciuit) id est, manifestū ei fit, qui præsciuit, quod si rectæ lineæ sic se habeant, demonstrabitur angulum in semicirculo rectum esse. Perspicuum est igitur mathemata potentia esse, ac intellectu erga ipsa operante inueniri. hic enim causa est, a qua reducuntur in actum. Quare, inquit, ex actu potentia, id est mathematicum potentia ex ipso agere reducitur in actū. & ob hoc efficientes cognoscunt. Ex his ergo palam fit, actum facultatis bus quæ specie eadem efficiunt, priorem esse: qui vero secundū numerum, facultate posteriorem. si quidem pauloante dictū est, actus qui specie idem efficiunt, priores esse potentijs, vt de Sophronisco & Socrate dicebamus, numero vero posteriores.

Cum autem id quod est, & id quod non est, partim per figuras prædicamentorum, partim per potentiam, aut actum istorum, aut contraria, partim propriissime aut verū aut falsum dicatur, idq; in rebus sit ipsis compositione, aut diuisione, quibus efficitur vt

verum quidem is dicat, qui diuisum diuisum, compositumve cōpositum esse putat. Falsum autem isce qui contrario modo sese habet, atque res ipsæ se habent, quando est id atq; non est, quod vt verum dicitur, aut falsum. hoc enim considerandum est, quidnam dicimus. Non enim quia te nos album esse vere putamus, ideo tu es albus: sed quia tu es albus, ideo nos qui hoc dicimus, verum dicimus. Si itaque quædam composita semper sint, diuidiq; minime possint, quædam perpetuo sint diuisa, componiq; nequeant, quædam subire contraria possint: esse quidem est compositum esse ac vnum, non esse vero compositum non esse, sed plura esse. Circa igitur ea quæ subire contraria possunt, eadē opinio atq; oratio vera fit atq; falsa: & fit vt interdum verum, interdum falsum dicatur. Circa autem ea quæ aliter sese habere non possunt, non interdum fit verum, interdum falsum, sed semper hæc vera sunt atq; falsa.

23 Quoniam ens & non ens partim per figuras prædicamentorum.) Cum res partim huiusmodi sint, vt in eis verum & falsum dici contingat, partim vt semper verum, quædam vt semper falsum: propositum ipsi est constituere, quæ sint ea in quibus verum semper dicimus, & quæ in quibus iam verum, modo falsum, & quæ in quibus semper falsum. Primum autem veritas quando fiat, & quādo falsitas, simpliciter ac in vniuersum docet, & sic ad propositum differendum aggreditur. Quoniā ergo, inquit, ens & non ens partim per figuras prædicamentorum dicuntur, vt ens dicitur substantia & quantum, & quale, ac cætera prædicamenta. quædam vero entia vocantur per horum vel potentiam, vel actum, quoniam ens & album dicitur id quod non est album, album tamen effici potest. Sed & album dicitur id quod iam actu est album. Item aer dicitur & quod nondum est aer, effici tamen potest, & quod iam est aer. Neq; vero solum quod non est, sed album esse potest, & quod nō est aer, sed esse potest, entia dicuntur, sed etiam contraria, id est, sed etiam dicuntur non entia. nam quod non est album, sed fieri potest, id non ens quoq; dicitur. At propriissime verum est ens, falsum vero non ens. siquidem sedente Socrate dicere, Socrates sedet, quod verum est dictu, propriissime ens est. non sedere autem, falsum & non ens. Quanquam aliter in rebus vere ens esse intelligitur, aliter in oratione. Cum enim Socrati sedere suppetit, huiusmodi verum est ens etiam in re. In oratione vero, cum ego quod ei suppetit, id ipsi suppetere dico: exempli gratia, cum Socrate sedete, Socratem sedere dico. Itaq; verax sum, cum quod abest, nec suppetit Socrati, id ei non suppetere puto, quod si adesse rear, falsus sim. Cum hæc igitur ita sint, quando est, aut non est quod verum dicitur, aut falsum, id est, quando affirmatio vel negatio vera est, & quando non? Neq; enim quod nos vel putemus vel dicimus Socratem sedere, vel album esse, ideo hæc ipsi suppetunt: sed contra idcirco nos verum dicimus, quia hæc ipsi adsunt. Nam vt in libri de enunciatione lectione secunda demonstratur, non res propter orationes sunt, sed orationes propter res veræ aut falsæ efficiuntur. His igitur in hunc modum disputatis ait, Si ergo quædam composita semper sunt, & diuidi minime possunt, nam globosum semper est cum Sole compositum, & incommensurabile cum diametro, nec fieri potest vt hæc separentur, quædam autem diuisa sunt, nec componi possunt, siquidem inanimatum semper est ab homine diuisum, nec potest cum eo coalescere, alia vero opposita recipiunt. Nam sedere licet cū Socrate compositum sit, ab eo tamen diuidi potest. Est autem esse atq; verum, vt hæc rursus memoremus, prædicatum cum subiecto componi, & vnum esse: non esse autem & falsum non conuenire, sed plura esse, atq; inter se discreta. Si ergo quædam, vt dictū est, semper consistunt, alia semper sunt discreta, sunt quæ contraria recipiant, nimirum in ea quæ recipiunt opposita, eadem opinio falsa efficitur atq; vera, & potest iam verum, iam falsum dicere. Exempli gratia, si te sedente, ego te sedere putem, verax sum. sin autem stante, in eadem ipse opinione persistam, eadem opinio vera effecta est, atq; falsa. vera prius, cum te sedente ego id ipsum arbitrabar, post hæc falsa. At quæ aliter habere nequeunt, ea non valēt modo vera esse, modo falsa. sed si globum Solem esse opiner, semper ero verax, cum hæc figura nunquam ab eo seiungi queat, vt ego hac opinione decipiar: quemadmodum si tu sedere desinas, fallar te sedere putās. sed Sol semper est globus, quare hoc ego semper putās, semper ero verax, non aliquando sic, aliquando secus. similiter qui diametrum lateri commensurabilem esse opinatur, is semper errat, cū nequeat ille fieri cōmensurabilis, vt aliquādo hæc opinio possit esse vera.

Veritas
quādo fiat,
& quando
falsitas: &
in quibus.

At circa ea quæ non sunt composita, quid est esse atq; non esse, & verum ac falsum? Non est enim quicquam compositum, vt sit quidem cum est compositum, non sit autē si sit diuisum, perinde atq; album lignum, aut diameter incommensurabilis costæ, neq; verum ac falsum in illis similiter erit. An vt neq; verum in his est idem, sic neq; esse est idem: sed est quidem hoc verum, hoc autem falsum. Sed est quidem verum tangere atque dicere. Non est enim idem affirmatio atq; dictio. Est autem falsum id ignorare, non tangere. Non enim fit vt quisquam circa ipsum quid est decipiatur, nisi per accidens. Similiter res sese habet & circa substantias non compositas. non enim fit vt quisquam

decipiatur. Et non potentia, sed actu sunt vniuersæ. Generarentur enim atq; corrumpentur, nunc autem ipsum quod est, non generatur neq; corrumpitur. ex aliquo nanq; generaretur. Quæ igitur quid proprie sunt atq; actu, circa ea non fit vt quisquam decipiatur, sed fit vt aut intelligat ipsa, aut non intelligat ipsa. Sed de ipsis quæritur ipsum quid est, si talia sint necne.

At circa ea quæ non sunt composita, quid est esse atq; nō esse, & verum ac falsum. Quomodo esse ac verum, & non esse atq; falsum in compositis dicantur, explicatum est. in simplicibus autem & in compositis, ac de quibus nihil prædicatur, nam si prædicaretur, omnino esset compositum, quomodo inquit esse & non esse consistunt, id est, quomodo in ipsis esse & non esse inest, siue quomodo se secundum esse & non esse habent, & quomodo verum & falsum in ipsis accidit. Neq; enim simplicia composita sunt, vt cum prædicatum & subiectum consistunt, tunc si consistere dicamus, verū dicamus, falsum autem si non conuenientibus idem dicamus, vt in albo ligno, cæterisq; compositis omnibus vsu venit. In his enim dicentes, lignum album est, verum dicimus: non album vero, falsum. In simplicibus autem & incompositis non id accidit, neq; verū & falsum perinde existet in his, atq; in illis, id est, compositis, sed alio scilicet modo. si enim perinde in vtrisque existeret, ipsa inter se nihil differret. quod ratione vacat, quandoquidem inter composita & incomposita magnū discrimen intercedit. Ad hunc igitur modum percontatus respondet, dicens. (An vt neq; verum in his est idē, sic neq; esse est idem.) quod æquipollet huic. quemadmodum in non compositis aliter verum dicimus, quā in ipsis compositis, sic esse aliter est in simplicibus quā in compositis. Quia enim vt sese res habent, sic oratio & veritas ipsarum, ac vicissim vt ipsarum veritas, sic & ipsæ, verum erit cū intellectus ipsum attigerit: cum non attigerit, falsum, id est ignorantia. quandoquidē abusus vocabulo falsum appellauit ignorantiam. quod ipse exposuit, dicens. (Sed est quidem verum tangere atq; dicere.) id est, verum est contingere, ac dictionem habere, non autem affirmationem aut negationem, ignorare vero non tangere. Itaq; falsum pro ignorantia sumptum est. In simplicibus igitur, vt diximus, vel intellectus ipsa consequitur, ac naturam ipsorum quemadmodum est, ac simplici iniectu siue animaduersione contingit, vt visus colores. Et verum dicit non aliquid de ipsis affirmans, sed quasi cōspiciat ipsa: quemadmodum visus colores. neq; enim visus quidquam de coloribus affirmat, sed aspicit duntaxat. Cum igitur intellectus hæc quasi cernit, tunc ipsorum dictionem habet, non affirmationem. affirmatio enim de composito dicitur ex subiecto & prædicato. siue ergo assequitur & contingit ipsa, verum dicit: siue non attingit, nec quasi cernit, nec quidquam in ipsis intelligit, ignorantiam ipsorum habere dicitur, non tamen falli. Nam ne visus quidem cum noctu colores non cernit, falli dicitur, sed ipsos ignorare. falli enim in compositis vsurpatur, quando quod non est quiddā, dicitur esse ipsum, vt si lignum quod non est album, album esse dicatur: aut quod est, dicatur non esse, vt hominem non esse animal. Itaq; intellectus erga simplicia verum dicit, quando ea quemadmodum se habent, & simplicibus aduersionibus attingit. Verum ergo dicere in simplicibus est, ab intellectu ipsa contingi, ac ipsorum dictionem haberi, nō affirmationem. falli autem vel decipi erga ipsa non licet. Nam deceptio & falsitas in compositis versatur, cum quod abest cuiuspiam, id cum ipso esse dicitur, aut quod adest, abesse. Sed postquam fieri negauit, vt circa quid est ac definitiones quisquam decipiatur, propterea quod definitiones non separantur ab ijs quorum sunt, vt sedere ac scribere a sedentibus & scribentibus, ait ne circa incompositas quidem, simplicesq; substantias, de quibus modo dicebamus, decipi licere, fieri tamen posse, vt per accidens quisquam decipiatur, si cui non attingere deceptionem libeat appellare. Omnes autem simplices substantiæ actus sunt, non potentia. Primū, quia si potentia essent, fieret vt erga ipsas deciperemur. si enim de simplici substantia intelligentiam haberem, ipsam esse hoc. ea vero cum sit potentia certum quid, mota esset in id quod potest fallere, quoniam quemadmodum fallar, si qui nunc sedet, hunc cum stabit sedere putem, sic in substantia simplici vsu veniret. Deinde si potentia essent, efficerentur vtiq; & interirent. Nam quod fieri hoc aliquid potest, illud efficitur, vt potest. At si fierent, profecto ex quoquam efficerentur, & hoc ex alio: & sic in infinitum. (Nunc autem, inquit, ens ipsum non generatur.) id est, proprie ens & simplex ac, vt ita loquar, supersubstantialis substantia, & quæ immobilis mouet, hoc est, deus Optimus Maximus non gignitur, neq; interit. Aut certe illorum verborum (nunc autem ipsum ens non generatur neq; interit.) sensus est huiusmodi. Nunc autem ens, ac substantia rei simplicis, qualiscūq; res sit, neq; gignitur, neq; deletur. Quod quid enim sit, compositum est. Sed entia, inquit, quæ sunt esse atq; actu, id est quæ sunt entia & actu, hoc est, quæ sunt actus & formæ, circa ea non fit, vt quisquam decipiatur, sed vt intellectus vel contingat ipsa, & verum dicat, vel non attingat, & hoc non est deceptio, sed de ipsis quæritur ipsum quid est, non vt aliquid de ipsis prædicemus, sed vt intelligamus duntaxat, & quasi cernamus. hoc autem vt ipsa quasi videant, contingit ijs qui ad doctrinæ verticem peruenere, ac optime vixerunt.

Verum in simplicibus dicere, quod sit.

Ipsum autem esse, vt verum, & non esse, vt falsum, vno modo est si compositum sit, atq; ita dicatur, & si compositum non sit, atq; non ita dicatur. Est enim illud verum, hoc fal-

sum. Alio modo si proprie sit hoc pacto, est. si non hoc pacto sit, non est. sed intelligere quidem ipsa, est verum, falsum autem non est, neque deceptio, sed ignoratio, non talis qualis est cæcitas. Cæcitas enim perinde est, atque si intelligendi quispiam potentiam omnino non habeat.

25 Ipsum autem esse vt verum, & non esse vt falsum si compositum sit.) Ens, inquit, vt verum, & nō ens vt falsum vno modo accipitur. si vt prædicatum cum subiecto componatur, & ipsum componi dicamus, id sit ens vt verum. In minus componatur, dicatur autem componi, non ens sit quasi falsum. (vnum autem) id est, alio modo (si proprie ens hoc pacto) id est, si simplex est, sic est veritas in ipso, non quòd de ipso quidquam affirmetur, sed quod intelligitur per dictionem, ac velut cernitur. (si non hoc pacto, non est.) id est, si non est simplex non, id est verum dicere in ipsum, id attingere duntaxat. quod ipse declarat, dicens, (sed intelligere quidem ipsa est verum, deceptio autē erga ipsa non est, sed ignoratio: ignoratio autem non qualis est cæcitas) vt nunquam ipsa possit intelligere, sed qualis est ignoratio cum quispiam de aliquo non considerat. Nam cæcitas similis est ignorantie, cum intelligendi potentia penitus abest: qua qui careat, is intelligere nunquam possit, vt ne is quidem videre, qui sit luminibus orbatus.

Patet autem & de immobilibus non interdum esse deceptionem, si quis illa immobilia esse putet, veluti triangulum si non mutari ipsum existimet, non interdum duobus rectis æquales habere angulos, interdum non habere putabit. mutaretur enim profecto. sed quippiam putabit, quippiam non putabit, veluti primum quidem parem numerum nullum esse, aut quosdam esse, quosdā non esse putare potest. Circa vero vnum numero nō potest. non enim quendam putabit, quendam non putabit, sed verum aut falsum dicet, propterea quòd ita se habet semper.

26 Patet autem de immobilibus nō interdum esse deceptionem, si quis illa immobilia esse putet.) Si deceptio secundum quandoq; versatur in rebus quæ aliter habere possunt, immobilia vero ac sempiterna nequeunt aliter habere, profecto in ipsis non erit locus deceptioni secundum quandoq; sed vt paulo ante diximus, vel semper decipietur, vel semper verum dicet. Nam si quis non putet triangulum mutari posse, sed immobilem esse duxerit, is nunquam opinabitur tres illius angulos quandoq; pares esse duobus rectis, quandoq; secus. si hoc enim intelligeret, nimirum & illud opinaretur, posse etiam commutari. At positum est ipsum putare immutabilem esse. non igitur hoc opinari potest, (sed quippiam putabit, quippiam nō putabit) id est, fieri potest, vt nullum numerum parem primū esse putet, vel quosdam numeros pares primos esse, quosdam secus. illud autem fieri nō potest, vt numerum duo ipsum per se modo primum parem esse putet, modo secus. Illud vero (non enim quendam putabit, quendam non putabit) huiusmodi est. Qui numeros perinde immobiles esse putat, atq; triangulum, is non putabit numerum qui primus sit, fore aliquando non primum. qui vero numeros ipsos mobiles esse crediderit, huic facile hoc erit persuasum. Itaq; vel erit verax, si duo numerum parem esse putauerit: aut semper decipietur, si hunc aliter sese habere censuerit. Ac octauū quidem librum primæ philosophiæ hæctenus enarrauimus.

In immo-
bilibus ac
sempiter-
nis loc^o nō
est dece-
ptioni se-
cundū quā
doque.

Finis libri Octaui, Latinis Noni.

ENARRATIO ALEXANDRI APHRODISEI IN LIBRUM NONVM PRIMAE PHILOSO- phiæ, Latinis Decimum, Interprete Io. Genesio.



Præterea quidem modis ipsum vnum dici solere, in hisce sermonibus dictum est antea, in quibus vnūquodq; quot modis dicitur, explicauimus. Cum autem multis modis dicatur, modi primorum, & eorū quæ per se vnū dicuntur, & non per accidens, quatuor esse videntur, si in summam atq; capita redigantur. Dicitur enim vnum continuum ipsum, continuum autem aut simpliciter, aut id maxime quod est natura, & non tactu neq; ligamine tale. Ex hisce magis id est vnum, priusve, cuius motus est indiuisibilior, magisque simplex. Præterea vnū est atque magis totum ipsum habens aliquam speciem atque formam, & maxime si quippiam est tale natura, & non vi, vt ea quæ glutine talia sunt, aut vinculo, aut clauo,